This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600095845.

RATIONEM

QUAM

I. BEKKER

IN RESTITUENDO DIGAMMO

SECUTUS EST

EXAMINAVIT

DR. A. LESKIEN.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LIPSIAE:

F. A. BROCKHAUS.

1866.

293. e. 21.

Carminum Homericorum qui ante Bekkerum editores certam textus constituendi rationem quaerebant, doctissimorum Alexandrinorum imprimis Aristarchi studiis ducebantur. Quam rationem ipse Bekkerus, quum primum carmina Homerica ederet secutus omnes ingenii vi criticaeque artis peritia superavit. Postea hoc opere non contentus anno 1858 alteram paravit editionem, qua in adornanda novas sibi posuit leges atque quod maximum erat, digamma, quibus locis legi et deberet et posset, in carmina Homerica reduxit. Quod qua ratione fecerit, accuratius examinare, mihi operae pretium videtur, quod tanta auctoritate sunt editiones Bekkerianae, ut quibus de digammo dicendum vel docendum sit, ii fere omnes ad has confugiant neque dubitent, quin tota, quae est de digammo Homerico quidem quaestio absoluta et ad finem perducta sit.

Veteribus grammaticis de digammo Homerico nihil prorsus compertum erat, ut quodcunque de hac litera traditum esset, ad solam dialectum Aeolicam pertineret. Universa igitur doctrina nostris temporibus propria et ab hominibus hujus et antecedentis saeculi tractata est. Primus enim de ea cogitavit philologorum ille princeps Richardus Bentleyus. Qui quo tempore primum quae in carminibus Homericis digammi vestigia animadvertisse sibi visus esset, publici juris fecerit, ex Heynii adnotatione didici, qui (Hom. carm. VII, p. 721) primum animadversionis Bentleyanae vestigium se

invenisse dicit in notis ad Miltonis Paradise lost ab illo editis IV, 887: „thou seemed'st a wise man formerly, νῦν δ' ἄφρονι φωτὶ ϝέοικας." Sed quum neque Heynius, quo anno in lucem prodierit illius carminis editio notis Bentleyanis ornata, addiderit neque ego in ulla editione illa Bentleyi verba laudata invenerim, rem in dubio relinquam. Hoc autem certum est, Bentleyum in margine editionis carminum Homericorum Stephanianae locos notasse, quibus digamma initiale certorum vocabulorum aut sine ulla difficultate aut cum levi traditae lectionis mutatione inferri posse existimaret. Quod Bentleyanae sagacitatis monumentum postquam per longum tempus neglectum jacuit vel certe quamquam passim novae sapientiae, quam dicebant, mentio facta est, parvi aestimatum est, ille liber sive codex, ut postea a quibusdam est appellatus, Bentleyanus, anno 1790 ad Heynium transportatus est, qui editionem carminum Homericorum paraturus Bentleyi notas in suum usum convertit, ut qui postea de his rebus scripserunt, suam doctrinae Bentleyanae notitiam ex Heynii opere hausisse videantur omnes. At ipse Bentleyus commentationem de digammo conscripsit, quam anno 1815 in bibliotheca collegii Trinitatis Cantabrigiensis se vidisse affirmat Thierschius (gr. gr. §. 162 ed. 3). Quo opere neminem, quod sciam, usum esse maxime dolendum est. Quamvis enim vocabulorum, quibus Bentleyus digamma appinxerat, Heynius plurima afferat, tamen quid de hujus literae natura atque usu ille ipse statuerit quamque in ea adscribenda viam ac rationem secutus sit, nunc fere perspicere non possumus. Quantum quidem concludere licet e catalogo vocabulorum ab Heynio confecto satis caute in iis eligendis egisse videtur; nihilo minus eum saepe errasse, quum indicia digammi non haberet nisi ex ipsis carminibus petita, non est, quod miremur. Dawesii quae sunt de digammo commenta (Miscell. critt. sect. IV. de consonantis sive aspirationis F virtute) libenter praetermitto, quippe qui falsissimas de hujus literae usu leges sibi finxerit. Deinde

Payne Knightii librum, qui inscribitur „Analytical essays on the Greek alphabet. London 1791“, cujus interdum Heynius mentionem fecit, non vidi neque hoc doleo, quod idem postea sententias suas in Prolegomenis ad Homerum scriptis copiose exposuit.

Liber igitur Bentleyanus ad Heynium delatus est, qui non modo in editione majore singulos locos, quibus digammi vestigia invenisse sibi videretur, annotavit sed etiam excursibus ad T 384 compositis universam doctrinam absolvere studuit. Sane, quod maximum et utilissimum erat, catalogum fecit vocum, quas digamma initiale olim habuisse censuit. Qua in enumeratione eum saepissime errasse, videbis, si quid in universum de digammi natura statuerit, audiveris. Recte quidem refutat opinionem eorum, qui linguam Latinam quandam dialecti Aeolicae partem esse vel ex ea profluxisse putarent, atque jure contendit, digamma fuisse antiquorum Graecorum commune et in usu habitum vulgari in sermone Graeco vetustissimo (VII, p. 709). At ipsius de digammi natura judicium, quo fuisse „genus adspirationis a spiritu aspero diversum, in carmine autem locum et usum consonae tenuisse“ sibi persuasit, nullo modo probandum est, quoniam si revera fuit spiritus, non potuit esse litera consona. Atque omnino Heynii de singularum literarum natura falsissima erat opinio, qua fiebat, ut dubitaret, num forte digamma in σ mutari posset, quum „etiam spiritus asper in sibilum mutatus esset in sex ex ἕξ, septem ex ἑπτά, super ex ὑπέρ.“ Itaque de digammo singulorum vocabulorum aut scribendo aut rejiciendo certi nihil proferre potuit. Maxime autem eo peccavit, quod e solo hiatu de digammo amisso concludi posse putavit. Qua lege eum omni temeritati viam aperuisse, ipsius verbis demonstratur hisce: „jam ex vocibus (ante quas constanter hiatus occurrere videmus) sunt nonnullae, quas digamma in capite habuisse antiqui scriptores narrant, hoc digammo in ista loca transferendo intellectum est hiatum expleri: nata hinc justa suspicio, accidisse hoc idem in aliis

pari de causa atque ita probabili ratione et per analogiam apparuit, voces etiam reliquas, quas constanter hiatus antecedit, digammum in capite habuisse, neque a primo auctore admissum sed ex amisso aut extrito digammo ortum esse hiatum." Quam parum Heynius sibi constiterit, jam eo intelligitur, quod quamquam ipse digamma universae Graecorum linguae vestutiori commune fuisse putavit, pluribus locis de invasione quadam digammi in medias voces facta loquitur, et quamquam inconstantiam veteris usus agnoscit, tamen digamma neglectum interpolationis signum habet. Quas ob causas conatus ejus a pluribus reprehensus est. Sed etiam defensores nacta est nova doctrina eosque gravissimos, Hermannum et Boeckhium, quorum ille argumenta contra digamma Homericum prolata refutare ejusque in carminibus Homericis usum justis finibus circumscribere studuit (cf. Recension des Heyne'schen Homer. Leipziger Literaturzeitung 1803, p. 285 fg.; ad h. in Ven. 86, Orph. p. 775), hic digamma quarundam vocum agnovit (de metris Pindari I, c. 17).

Deinde plures de usu digammi Homerici disputarunt, quorum sententias persequi longum est. At memorabilis est Thierschii in grammatica Graeca (§. 152, ed. 3) expositio; hujus enim viri doctissimi auctoritas etiam hodie hac in re multum valet, quamquam ejus doctrina defendi nullo modo potest. De literarum enim inter se mutationibus miram tenet opinionem, qua, ut unum afferam, digamma e duriore sono labiali, qui Latinorum f respondeat, ortum esse putat, ut digamma eum pro consona habuisse concludas. Tamen ille Prisciani sententiam, qui digamma a poëtis in versibus componendis interdum pro nihilo habitum esse contendit, comprobavit, id quod Heynius aliique cum ratione aliqua fecerant, quum digamma aspirationis quoddam genus existimarent. Deinde etiam hujus sententiae auxilio non omnes difficultates removeri, quum facile intelligeret, rem prorsus arbitrio poëtarum subjectam fuisse opinatus est, ut modo

digammo initiale pronuntiarent, modo abjicerent. Hoc quidem unum in Thierschii disputatione laudandum est, quod praeter hiatum alia digammi indicia esse cognovit, velut compositionem sine elisione vel contractione factam, augmentum syllabicum temporalis loco positum, quamquam incerta ea esse patet.

Multo cautius et circumspectius Buttmannus in grammatica Graeca majore de digammo judicavit, quamquam communem opinionem secutus inter spiritus refert. Quem enim catalogum confecit vocum digammo instruendarum, eo tantum certissimae enumerantur, ut ubi erraverit, pro tempore, quo scripsit, neglectaque tum etymologia, non errare non potuerit. Atque multo accuratius quam reliqui indicia digammi amissi perspexit, hiatuum ante certas voces a vocali incipientes multitudinem et apostrophorum paucitatem, productiones vocalium longarum diphthongorumque ante easdem servatas, denique syllabarum brévium in literam consonam desinentium productiones etiam in thesi factas. Deinde digamma e lingua Graeca sensim sensimque evanuisse intellexit, ut quum in aliis vocibus maneret, ex aliis jam abjectum esset, quod quanti momenti sit ad totam quaestionem recte instituendam, nemo est quin perspiciat.

Pauca addam de Payne Knightii illa editione, qua primus digamma in ipsum textum Homericum inferre ausus est. Sed quid dico digamma? Immo in pristinam formam carmina Homerica „a rhapsodorum interpolationibus repurgatam“ redigere sibi proposuit, quod qua ratione faciendum esse existimaret, copiosius exposuit in Prolegomenis, quorum editionem secundam e libro, qui inscribitur The classical Journal (nn. 14, 15, 16 anni 1813) desumtam Ruhkopfius iterum in lucem prodire jussit, ne Germani speciosi hujus operis expertes essent. Non facile dixeris, utrum magis admireris conjecturandi audacitatem an constantiam, qua ad leges suas ratione quadam excogitatas textum carminum accommodare studuit. Quod eo facilius perfecit, quia quae

doctrinae suae repugnarent, grammaticorum aut rhapsodorum commentis, quibus justam versuum mensuram explerent, facta esse opinatus est. Quare non dubitavit scribere O 592 |ΤροϝΕς| δε λε|ϝοντσι ϝεϝοικοτες ὠμοφαγοισι, vel P 517 και βαλεν ἀρῆ|τοϝο κατ'|ἀσπιδα παντοσε ϝεισϝην.

Quaecunque inde a Bentleyo de digammo scripta et tradita erant, certa via ac ratione carere, facile intelligitur. Buttmannus quoque magis restringendis aliorum conatibus temerariis quam nova via ineunda profecit. Quod unde factum sit, perspicuum est. Nemo enim antea accuratius in metricam carminum Homericorum artem et rationem inquisiverat, ut qui de digammo agerent, mirum hiatuum numerum viderent, sed quatenus veteribus poëtis epicis hiatus admittere licuisset, neque scirent neque quaererent. Jam solo carminum Homericorum auxilio nunquam posse hanc doctrinam ad finem perduci, quamquam G. Hermannus pluribus locis docuerat, tamen dialectorum inscriptionumque comparatio tam parvi momenti habita esse videtur, ut vix hic illic quemquam ea niti videas. At non multo post sane ii qui caecutire nolebant, minus facile rem expediri posse, quam antea multi putarent, intellexerunt. Creverat enim paullatim nova scientia grammatica comparatione linguarum cum Graeca Latinaque cognatarum nisa, qua quum digamma initiale nonnullis vocibus attributum esse, quarum radices ab alia litera incepissent, demonstratum esset, totam quaestionem et difficiliorem fieri et aliis finibus circumscribi necesse erat. Sed statim videbimus, longius tempus praeterlapsum esse, priusquam utraque et versuum Homericorum accuratior cognitio et etymologia adeo perfecta essent, ut in hac re pariter iis viri docti uterentur.

Anno 1816 prodiit Spitzneri liber de versu Graecorum heroico maxime Homerico scriptus, quo digamma Homero cognitum fuisse negat (c. 4, §. 2 c.), maxime ob id, quod hiatus digammo certis locis inserto non tollantur sed multi restent. Spitznerus recensum vocabulorum ab Heynio factum secutus ad singula eos locos congessit, quibus digammi

restitutionem ipse versus prohiberet. Sed quid inde sequitur? Sunt sane loci nonnulli, quibus, ut unum exemplum afferam, vocis ἴδον digamma neglectum est (v. Spitzn. p. 130), sed ante eandem paene centum locis hiatus leguntur in iis versuum sedibus, in quibus apud Homerum aut rarissimi aut nulli sunt. Aliud enim est digammi usum in carminibus Homericis agnoscere, aliud quaerere, num ubique inferri possit. Itaque quaestio de versu Homerico sic instituenda erat, ut fecit Hoffmannus in quaestionibus Homericis (vol. I. 1842, II. 1848), qui versuum leges omnibus locis, quibus de digammo suspicari liceret, praetermissis ante indagavit, quam de digammo judicaret. Hujus igitur viri liber praestantissimus semper nobis adeundus est, si de metrica carminum Homericum ratione certa scire cupimus. Nunc vero copiosius de ejus doctrina exponere supersedeo, quia infra saepius ad eam recurram. Paullo ante Hoffmanni prodiit Giesii, deinde Ahrensii de dialecto Aeolica liber, quem paucis annis post secuta est altera pars dialectum Doricam continens. Inde ab hoc tempore habemus fundamenta, quibus universa doctrina superstrui possit. Quae ad firmanda adminiculum accessit haud contemnendum grammatica, ut quam brevissime dicam, comparativa sanaque etymologia. Occasione oblata non omittam, eodem fere tempore, quo libri modo dicti sunt editi, Longardum quendam composuisse libellum (Symbolae ad doctrinam de digammo Aeolic*a*. Bonnae 1837), quo omnem quaestionem ad cognatarum linguarum comparationem revocavit. Qui quamquam multis in rebus erravit, velut, quod digamma pro aspiratione labiali habuit et vocales breves ante id elidi posse opinatus est, tamen multarum vocum veras radices invenit, qua ratione aut confirmavit digamma initiale aut rejecit. Quod quidem ad carmina Homerica attinet, tota ejus disputatio non multum valet, quoniam versus legumque metricarum nulla ratio habita est. De Pohlii et Savelsbergii commentationibus, quae notae sunt, non est, quod plura dicam, sed statim transire licet ad

Bekkeri editionem, quae omnibus disputationibus inde ab hoc tempore faciendis fundamento erit.

Bekkeri rationem ita examinare mihi proposui, ut et ad etymologiam et ad leges metricas omnia revocarem. Etymologia vero quum linguam Graecam literarum, quas dicunt, sibilarum, s, j, v maximam fecisse jacturam demonstratum sit, primum, ubicunque literam initialem amissam esse suspicamur, quae tandem abjecta sit, quaerendum nobis esse sequitur. Qua in quaestione plurium vocabulorum inveniri digamma initiale quam vel s vel j negari non potest. At sunt in carminibus Homericis voces, quas quum j initiale habuisse constet, in versibus non aliter ponuntur atque eae, quae a digammo incipiunt. Bekkerus autem, qui hoc neglexit, ut exemplum afferam, ϝεινάτερες scripsit, quamquam nihil certius est, quam a litera j olim incepisse hanc vocem, id quod et Latino *janitrices* et Sanscrito *jatr* luce clarius demonstratur. Quod vero in uno alterove vocabulo factum est, num idem in aliis fieri potuisse negemus? Hoc unum concedendum est, si e multis locis cui voci consonam initialem fuisse concluditur, paullo veri similius videri digamma amissum esse quam aliam literam, ob id ipsum, quod digamma sedem suam diutius tenuerit. Sed ne hac veri similitudine ut digamma iis locis ponamus, ubi nunquam fuerit, inducamur, certis indiciis opus est; certa autem ea habeo sola, si aut dialectorum fragmentis digamma vel scriptum exstat vel pronuntiatum esse traditur, aut linguarum comparatione radicem ab hac litera incepisse exemplis probatur. Quaecunque e solo versu Homerico concluduntur, tam dubia sunt, ut de digammo cogitari quidem, sed nihil certi statui possit. Quare ut potero, accurate hac ratione vocabula a Bekkero digammo instructa examinabo.

Hae igitur sunt voces, quarum quae derivationes et formae ad rem illustrandam alicujus momenti sunt, eas simul addam:

ϝάγνυμι. ϝάγη Γ 367, ἐϝάγη Ρ 607; ϝάξη Ε 161, ἔϝαξε Η 270, ἐϝάγη (perf.) Λ 559, ἀϝαγής λ 575.

ϝάδος Λ 88, ϝαδηκώς Κ 98 (ἀδδηκώς).

ϝάλις Β 90.

ϝαλίσκομαι. ϝαλοῦσα Β 374.

ϝάναξ. ϝανάσσω, ϝήνασσε Κ 33, ϝιϝάνασσα Σ 47, Καλλιϝάνασσα Σ 46.

ϝανδάνω. ϝήνδανε Α 24, ἐϝήνδανε Η 45, ϝάδε Μ 80, ἔϝαδε Ρ 647 (εὔαδε), ἐϝαδώς Ι 173; ϝηδύς Β 270, ϝήδυμος Κ 91 (νήδυμος), ϝῆδος Α 576, ϝάσμενος Ξ 108.

ἀϝοσσητήρ Ο 254.

ϝαραιός Ε 425.

ϝαρνός Α 66, Πολύϝαρνι Β 106, ϝάρνη n. pr. Β 507.

ϝάστυ.

ϝέαρ Ζ 148, ϝειαρινός Β 89.

ϝεδανός Ξ 172.

ἔϝεδνα Π 178, ἀνέϝεδνος Ι 146 (ἀνάεδνος), ἐϝεδνωτής Ν 382.

ἐϝέρση Λ 53, ἐϝερσήεις Ω 419.

ϝέϑειραι Θ 42.

ϝέϑνος.

ϝέϑω, ἔϝωϑεν Θ 408, εἴϝωϑε Ε 766, εἰϝωϑώς Ε 203, ἀϝηϑέσσω Κ 493, ϝῆϑος Ζ 511.

ϝείκοσι Ν 260, ἐϝείκοσι Α 309.

ϝείκω.

ϝείμαρτο Φ 281.

ϝεινάτερες Ζ 378.

ϝείρια χ 423.

ϝεκα- ϝεκηβόλος Α 96, ϝεκατηβελέτης Α 75, ϝέκατος Α 385, ϝεκάϝεργος Α 474, ϝεκάβη Ζ 293, ϝεκαμήδη Δ 624.

ϝέκαστος, ϝεκάτερϑε Λ 27.

ϝέκηλος Ε 759.

ϝεκυρός Γ 172, ϝεκυρή Χ 451.

ϝεκών Γ 66, ἀϝέκων Α 301, ϝέκητι, ἀϝεκαζομένη Ζ 458.

ϝελ (ϝειλέω, ϝείλω). προτιϝειλεῖν Κ 347, ἐϝείλεον Σ 417, ϝειλόμενος Ε 203; ϝέλσαι Φ 225, ἐϝέλσαι Φ 295, ϝέλσαν Λ 413; ἐϝέλμεϑα Ω 662, ἐϝελμένος Μ 38; ἐϝάλη Ν 408, ϝαλείς Φ 607; ϝεῖλαρ.

ϝελ (ϝειλύω). ϝειλύμενος Ε 186, ϝειλύαται Μ 286; ϝειλυφάζω Υ 492.

ϝελίσσω, ϝελιξάμενος Ρ 283, ϝέλιξ Ι 466, ϝελίκωπες, ϝελικώπιδα, ἀμφιϝέλισσαι, ϝελικάων, ϝελίκη, ϝελικώνιος.

ϝέλδω, ϝέλδεται Ε 481, ἐϝέλδεται Ν 638, ἐϝέλδωρ Α 41.

ϝέλπω, ἐϝέλπεται Ν 813, ἐϝέλπετο Ο 288; ἔϝολπα Υ 186, ἐϝώλπει Τ 327; ϝελπίς, ϝελπωρή (Od.); ἀϝελπής ε 408.

ϝέλωρ, ϝελώρια Α 4.

ϝέϝοικε Α 119, ἔϝοικε Β 233, ϝεϝῴκειν Β 58, ϝειϝοικυῖα Σ 418, ϝεικυῖα Γ 386, ϝικυῖα Ψ 66, ϝεϝίκτην Α 104, ἔϝικτο Ψ 107; ϝεϝίσκω Γ 197, ϝηϝίσκομεν Φ 332, ἤϝισκεν δ 247; ϝίκελος Δ 86, ϝείκελος Δ 253; ἀϝεικής Α 97, ἐπιϝεικής Α 547, ἀϝικῶς Χ 336, ἀϝεκήλιος Σ 77, ἀϝεικίζω Π 545.

ϝεπ. ϝειπεῖν, ϝεῖπον, ἔϝειπον c.; ϝέπος, ϝόψ Α 604, ϝόσσα Β 93; ἀρτιϝεπής Χ 281 (aliaque adjectiva composita).

ϝεργ (arcere). ἐϝέργει Β 617, ἀνέϝεργε Γ 77; ἐϝεργμένος Ε 89; ἐϝέργαϑεν Ε 147, ϝέργαϑε Λ 347; ἐϝέργνυ κ 238.

ϝεργ. ϝέϝοργεν Β 272, ἔϝοργεν Γ 351, εἰϝώργειν ξ 289, ϝεργάζεσϑαι Σ 469; ϝέρδον Α 315; ϝέργον Α 115; ταλαϝεργός Ψ 654; ΔυκόϝεργοΣ Ζ 131 (Δυκόοργος).

ϝερ. ϝείρω β 162, ϝερέω, ἐκϝερέω Α 212, ϝείρηται Δ 363.

ϝέρρω Ο 239.

ἀπόϝερσε Ζ 348, ἀποϝέρσῃ Φ 283.

ἔϝερτο ο 460, ἐϝερμένος σ 296.

ϝερύω. προϝέρυσσε Α 308, ϝερύσαντο Α 466, ϝείρυσσε Γ 373, ἐκϝέρυσ' Ε 112, ἐκϝείρυσσαν; ϝείρυντο Μ 454, ϝειρύατο Ξ 30, ϝειρυμέναι Ν 682; ἀϝέρυσαν Α 459, ἀϝέρυον Μ 261 (αὐέρ.).

ϝες. καταϝείνυσαν Ψ 135, ϝείατο Σ 596, ϝέσθην Σ 517, ἔϝεστο Μ 664; ἐϝέσσατο Κ 23, ϝέσσαντο Ξ 281; ϝεῖμα, ϝέσθος Ω 94; ϝεᾰνός Γ 385, ϝειανός Π 9.

ϝέσπερος.

ϝέτης Ζ 239.

ϝέτος Α 328, πενταϝέτηρος Β 403, ἑξϝετής Ψ 266, ὀϝέτεας Β 765 (οἰέτεας).

ϝετώσιος Γ 368.

ϝῆκα Γ 155, ϝήκιστος Ψ 531.

ϝῆρα (φέρειν).

ἐριϝήρης Γ 47.

ϝήριον Χ 126.

ϝῆνοψ Π 408.

ϝηχή Β 209, ϝηχήεσσα; περιϝήχησε Η 267, δυσϝηχής Β 686.

ϝιάνειρα n. pr. Σ 47.

ϝιάχω, ϝίαχον Δ 506, ϝίαχε Α 482, ἀϝίαχος Μ 41 (αὐίαχος).

ϝιδ. ϝίδον; ἔσϝιδεν Ξ 13, εἰσϝεῖδεν Ξ 153; ϝοῖδα, ϝῇδη Α 70, ἠϝείδης Χ 280, ϝιδυῖα Σ 380; ϝείδοντο Π 278, ϝείσατο Ν 191, ϝεισάμενος Π 716, ἐϝεισάμενος Β 22; ϝεῖδος, ϝείδωλον; Ἄϝις, Ἀϝιδωνεύς, νῆϝις Η 198; ϝίστωρ, ἄϝιστος Ξ 258, ϝιδρείη Η 198, ἄϝιδρις Γ 219, ἀϝίδηλος Β 455, ἀϝίζηλος Β 318 (ἀρίζηλος), ΠολύϝΙδος n. pr. Ε 148.

ϝιδέ (conj.).

ϝίεμαι, ϝιέμενος Β 154, ϝίετο Ε 434, ϝῆκε Ψ 400.

ϝικαρίοιο τ 375.

ϝιλαδόν Β 93.

ϝίλιος. ϝῖλος n. pr. Κ 415.

ϝιλιονεύς n. pr. Ξ 492.

ϝινδάλλεται P 213.
ϝίνιον E 73.
ϝίου ε 72, ϝιοϝειδής Λ 298.
ϝιόμωροι Δ 242.
ϝῖρις n. pr. deae B 790, ϝῖρις P 547.
ϝῖρος n. pr. σ 25.
ϝίς, ϝῖφι, ϝίφιος.
ϝῖσος, ἐϝίση, ϝισάζω M 435.
ϝίτυς Δ 486, ϝιτέη Φ 350, ϝίτων n. pr. B 696.
ϝιωή Δ 276.
ϝιωκή E 521.
ϝόαρες, ϝώρεσσι E 486, ϝοαρίζω Z 516, ϝοαριστύς N 290, ϝοαριστής τ 179.
ϝοιήιον T 43, ϝοίηξ Ω 269.
ϝοῖκος A 30, ϝοικῆας E 413, ϝοικέοιτο Δ 18, ϝῴκεον Ξ 116, ϝῴκηϑεν B 668.
ϝοῖνος, ϝοῖνοψ B 613, ϝοινοχόει A 598, ἐϝῳνοχόει Δ 3.
ϝοῦλος, ϝούλη λάχνη K 134, ϝοῦλαι χλαῖναι Π 224, ϝοῦλος ὄνειρος B 6, 8, ϝοῦλος ἀνήρ Φ 536, ϝοῦλον κεκληγῶτες P 756.
ϝουλαμός Δ 251.
ϝῶλξ N 707.

pronomen person. 3. pers.

ϝέϑεν	A 114	ϝοῖ	188	ϝέ	A 236
ϝεῖο	Δ 400	ϝεοῖ	495	ϝεέ	Υ 171
ϝέο	E 343				
ϝεῦ	I 377.				

pronomen poss. 3. pers.

ϝοῖς	A 307	(ϝός)
ϝεόν	A 533	(ϝεός)
ἐϝοῦ	A 496	(ἐϝός).

Quorum vocabulorum digamma dialectorum fragmentis confirmatur, de iis et ab Ahrensio et a Savelsbergio (De digammo ejusque immutationibus dissertatio. Aquisgrani 1854) disputa-

tum est. In eorum numerum recensenda sunt haec: ἄγνμι Ahr. Aeol. 32; ἅλις Dor. 53, Curtius Grundzüge (ed. prior.) II, 126; ἀλίσκομαι, forma Pindarica εὐάλωκα, Aeol. 36; ἄναξ Dor. 45; Aeol. 32, Dor. 53; radix σϝαδ: ἡδύς, ἧδος, ἄσμενος, Curt. I, 195; ἀνδάνω ἄρνες Aeol. 170, Dor. 45; ἄστυ Aeol. 170, Curt. I, 175; ἔαρ Aeol. 171, Dor. 53, Curt. I, 355; ἔϑω, εὐέϑωκα· εἴωϑα Hesych.; radix σϝεϑ Curt. I, 216; εἴκοσι Dor. 46, 54, Curt. I, 176; εἴκω Aeol. 171, Curt. I, 105; εἴλω (εἰλέω, ἐάλην) Dor. 159, Curt. II, 126; εἰπεῖν Aeol. 31, 90, Curt. II, 47; ἑκα - glossa Hesychii βεκάς· μακράν. Pottius Etymol. Forschungen I, 234 ad radicem, quae est verbi εἴκω, vocem pertinere censet; ἑκών Dor. 46, 53, Curt. I, 106; ἕννυμι Aeol. 32, radix ϝες Curt. I, 344; ἔργω (ἔοργα) Aeol. 32, 226, Dor. 46, Curt. I, 150; εἴρω (ἐρέω, εἴρηκα) Aeol. 34, 226, radix ϝερ Curt. I, 308; ἔρρω Dor. 46; ἐρύω-αὐέρυσαν Curt. II, 141; ἕσπερος Aeol. 32, Curt. I, 311; ἔτης, c. inscr. 11 in titulo Eliaco ϝέτας; ἔτος Dor. 46, 54, Curt. I, 176; ἰάχω-αὐίαχος; ἴδον Dor. 47, radix ϝιδ Curt. I, 206; ἴον Dor. 54, Curt. I, 356; ἴς Dor. 47, Curt. I, 356; ἴσος, βίωρ-· ἴσως, σχεδόν; γισγόν· ἴσονHesych., Curt. I, 346; ἴτυς, ἰτέα Aeol. 32, Δάκωνες; Curt. I, 357; οἶκος Aeol. 170, Curt. I, 132; οἶνος Aeol. 32, Dor. 55, Curt. I, 357; pron. pers. 3. p. ejusque possess. Aeol. 170, Dor. 42, Curt. I, 361.

Aliarum vocum, quae dialectorum testimoniis carent, origo linguarum comparatione patefacta est, ut de digammo dubitari non possit.

ἐέρση. Skrt. „vrsh“ irrigare, „varshas“ pluvia Curt. I, 311.

ἕκηλος. Jam a Buttmannuo (Lexil. I, 145) conjuncta est haec vox cum εὔκηλος, quod factum est ex ἐϝεκηλος, ἐϝκηλος, neque obstat significatio, quominus id quod complures fecerunt, ab eadem radice derivemus, a qua ἑκών.

εἰλύω digamma habuisse, Latino verbo „volvere“ probatur. Ad eandem radicem ϝελ, quam ne confundamus cum ea, a qua derivantur εἰλέω, ἐάλη, εἴλαρ, cavere debemus, ἕλιξ refe-

[illegible] est cum verbo ἐλίσσω, cujus significatio, qua motum [illegible] a recta linea detortum declarat, optime cum verbi [illegible] potestate convenit.

ἔλπω. Radix continetur Latinis vocabulis „volup“ (apud [illegible] Ann. 247 ed. Vahlen pro „volupis“ scripto) et „[illegible]“. Curt. I, 229.

ἔλδομαι. Linguarum cognatarum nulla est vox, quam comparemus, sed quum significatione verbi ad eandem radicem ducamur, quae est in ἔλ-πω, vix est, quod de digammo nisi attribuendo dubitemus; v. Curt. II, 126.

ἐέργω, ἔργω, εἴργω. Radicem digammo instructam ostendit verbum Sanscritum vrǵ (varg), quod eandem arcendi et excludendi potestatem habet.

ἑκυρός. Latinum *socer* literarum initialium priorem servavit, Sanscritum *çvaçura-s* et Gothicum *svaihra* ambas, quarum in lingua Graeca, ut fere semper, posterior restat.

ἰνδάλλομαι derivandum est a radice Ϝιδ, ἰδεῖν.

ἴνιον. Patet hanc vocem cohaerere cum ἴς, ἶνες, de cujus digammo modo vidimus.

ἰλαδόν et οὐλαμός. Radix est Ϝελ (ἐάλη). Curt. II, 126.

οὖλος. Plura vocabula ejusdem soni in carminibus Homericis distinguenda sunt, οὖλος enim ρ 343 ἄρτος οὖλος, ω 118 μὴν οὖλος idem est quod ὅλος, quod digamma initiale non habet. Plane diversa est vox, quae conjungitur cum λάχνη K 134, cum χλαῖναι Π 224, δ 50, cum κόμαι ζ 231, ψ 158. Quae dubitari non potest quin derivanda sit ab ea radice, quam litera ρ pro λ posita continent in Graeca lingua εἶρος, ἔριον alia, in Latina voces „vellus, villus“ et literaml et digamma servantes. Certum igitur est, digamma etiam in lingua Graeca olim fuisse. εἶρος, ut hoc addam, semel Bekkerus digammo instruxit χ 423 initio versus, qui cur δ 124, Γ 387, 388, σ 316, quibus locis non minus facile inseri potest, non apposuerit, non video. Deinde Bekkerus Ϝοῦλος etiam iis locis scripsit, quibus translato quodam sensu vocabulum usurpatum esse

videtur: ϝοῦλος ὄνειρος B 6, 8, ϝοῦλος ἀνήρ Φ 536, ϝοῦλον κεκληγῶτες P 756, 759 (E 461, 717 propter metrum digamma ferri non potest). Cujus origo quum difficillima sit exploratu, mihi omnibus locis comparatis plurimorum grammaticorum interpretatio, qua significet „obnoxius, terribilis“ et cum verbo ὄλλυμι cohaereat, maxime probanda videtur. Sed quoniam hujus quidem verbi originatio plane obscura est, de litera initiali statuere nihil licet.

ἑδανός ab Apollonio in lexico Hom. per ἡδύς explicatur neque huic interpretationi quidquam obstat; radix igitur quum sit σϝαδ, digamma certum est.

ἔεδνον a Curtio I, 195 ad eandem radicem refertur, id quod propter significationem bene ferri potest, atque accedit ε prostheticum, quo digamma initio vocis fuisse verisimile fit.

ἠχή mihi quidem cum verbo ἰάχω, quod a digammo incepisse certum est, cohaerere videtur, ut radix sit ϝαχ, quae in verbo reduplicatione aucta exstat.

ὦλξ. In altera forma, quae est αὖλαξ digammi vestigium videmus, atque aliarum quidem linguarum comparatione radicem verbi ἕλκξ, a qua derivatur ὦλξ, digamma initiale habuisse, confirmatur. Curt. I, 106.

De uno alterove horum vocabulorum posse dubitari quamquam non ignoro, tamen Bekkerus his jure mihi digamma restituisse videtur, quoniam et etymologia suadet et e locis Homericis comparatis de litera consona initiali concludere licet. Quae sequuntur voces, de iis aut ex etymologia nihil constat aut contrarium probatur.

ἀπόερσε. Sunt, qui hoc verbum cohaerere existiment cum radice vocis ἕρση, id quod fieri posset, nisi obstaret significatio. Declarat enim „ab undis vel flumine abripi“, quum radix Sanscrita proprie valeat „irrigare“, deinde „leniter pluere“, quod optime convenit cum Graeca voce ἕρση, sed nullo modo cum verbi illius potestate; cf. Pott Etym. Forsch II, p. 596. Pottius de Latino verbo „verrere, aver-

rere" cogitavit, sed rem in dubio reliquit. Quare de digammo nullo modo constat.

ἑτώσιος. Ebel (Kuhn Zeitschr. V, 70) hanc vocem cum locutione οὐχ ἑτός comparat, quae apud Aristophanem (Plut. 404 al.) significat „non temere, non sine ratione". Sed hujus quoque quae propria sit potestas quaeque origo, nescimus. Nam ἑτός cum Sanscrito vocabulo „svatas", quod est „ex se, per se" conjungendum esse, id quod ille vult, mihi maxime dubium videtur, quia quid commune habeant significationes, non video.

ἕκαστος, ἑκάτερϑε (ἑκάτερος apud Homerum non legitur). Permultis locis consonae initialis vestigia obvia sunt Hoffm. II, 21. Hoffmannus quasi superlativum vocis ἑκάς illud esse existimavit, atque quum ἑκάς cum Latino „secus" conjungeret, literam initialem σ fuisse censuit, de digammo autem cavit ne quid statueret. Neque e dialectorum copia quidquam ad hoc demonstrandum redundavit, contra C. I. 1569, quo in titulo nunquam digamma initiale neglectum est, ἕκαστος eo caret, id quod maximi momenti est, v. Ahr. Aeol. 170. Multum praeterea disputatum est de vocis derivatione diversissimaeque de ea prodierunt sententiae. Mihi quidem hoc videtur veri simillimum esse, in ἑ latere eandem stirpem, quae est numeralis εἷς, ut proprie valeat ἕκαστος „unus quotuscunque". Ipsum vero εἷς utrum a consona quadam inceperit necne, quum dubium sit, etiam de voce ἕκαστος dijudicari non potest.

ἕλωρ. Hiatibus A 3, E 684, P 667, ut qui sint in caesura trochaica pedis tertii, nihil probatur, id quod ipse Bekkerus concessit (Homer. Blätter p. 144); E 488, P 151, γ 171, ε 473, ω 292 ante ἕλωρ ν ἐφελκ. traditum est, duo denique loci digammi restitutioni plane repugnant, Σ 93 Πατρόκλοιο δ' ἕλωρα (Πατρόκλου δὲ ϝέλωρα B²) et ν 208, ubi ante ἕλωρ corripitur μοι. At hiatus supra enumerati quamquam ad demonstrandum digamma nihil valent, tamen quominus ponatur, non impediunt, si forte etymologia stirpi

vocis digamma attribuendum esse probatur. De derivatione difficillimum erit certi aliquid statuere neque ego aliud affirmare ausim, nisi vocem ab eadem radice deductam videri, a qua verbum ἑλεῖν. Videamus igitur, num forte in eo digammi vestigia cernantur. Videntur aliquid demonstrare hiatus nonnulli, sed O 71 Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν nihil valet, quod vocalis υ nunquam in carminibus Homericis eliditur (Hoffm. I, 80, cf. K 348) saepiusque hiatum efficit; deinde E 576 Πυλαιμένεᾱ ἑλέτην quum productio fiat in arsi tertia, hoc loco nihil probatur; restat denique unus locus E 118 ἄνδρα ἑλεῖν, quo est hiatus nulla ratione excusatus in thesi secunda. Sin vero haec indicia Bekkero non suffecerunt, quibus ut verbo ἑλεῖν digamma tribueret, adduceretur, certe non majore jure ϝέλωρ scripsit. Scio quidem ad digamma defendendum afferri illum aoristum γέντο, sed quam dubia sit etymologia exposuit Curtius II, 174, 321. Neque Alcaei fragmentum (Schneidewin 56), in quo Schneidewin et Bergk e conjectura restituerunt ἐκϝέλετο, Ahrens vero ἐκ ϝ'ἔλετο hac in re ulla esse auctoritate apparet. Nihil igitur restat, nisi ut formam ἀποαιρεῖσθαι A 230 et augmentum aoristi εἷλον consona quadam amissa esse explicanda, quaenam autem fuerit, incertum esse dicamus.

ϝιάνειρα, ϝιϝάνασσα. Quum litera ι stirpem vocis ϝίς contineri, nulla ratione probari possit, neque quomodo explicanda sit, pateat, digamma scribi non debet.

Ἶρις. Pausanias III, 19, 4 deam Laconicam dicit, cui nomen fuerit Βῖρις, quae utrum eadem sit atque Ἶρις necne dijudicare non valeo. Ex etymologia quidem digammo nullum peti posse videtur auxilium, quum quae Pottius, qui unus quantum scio de hoc nomine disputavit, affert, ob eam causam rejicienda sint, quod vocem compositam esse vult e radice „ar“ et Sanscrita praepositione „vi“, quam in linguam Graecam inferre non licet.

ὄαρες, ὤρεσσι. E 486 ἀμυνέμε|ναι ὤ|ρεσσι, I 327 μαρνάμε|νος ὀά|ρων, qui loci quamquam nihil probant, tamen

digammi restitutioni non repugnant; atque Rhiani editio ϑ 521 ἄστει | καὶ ὤ|ρεσσιν habuit pro τεκέεσσιν, quae lectio si probanda esset, certissimum sane haberemus literae initialis indicium, modo accederent ad digamma demonstrandem argumenta ex etymologia petita. Benfeyus quidem (W. W. II, 7) a radice ϝερ „dicere" vocem derivat, sed ita ut ὁ ejusdem originis sit et significationis, cujus ἀ vel ἁ, quod dicunt, copulativum. Ὅαρ igitur proprie eam denotare putat, quae cum viro loquatur. Unde uxorem nomen duxisse vix credibile est. Ceterum digamma initiale hac derivatione rejicitur. Praeferendum mihi videtur, quod Pottius proposuit (Kuhn Zeitschr. VI, 262), qui hanc vocem ab eodem ο et radice „ar", quae est verbi ἀραρίσκω, deducere vult, quod plane ejusdem genus compositionis sit, atque σύζυξ et conjux. Sane etymologia tam incerta digamma restituere audacius est. Benfeyus, qui I, 320 derivationem plane diversam proposuerat, similitudine vocabulorum ὀαρίζω, ὀαριστής, ὀαριστύς ad hanc alteram, quam modo attuli, ductus videtur. Etiam Curtius I, 309 haec ad radicem ϝερ pertinere posse censuit his verbis usus: „ὀαρίζω (ὀαριστής, ὀαριστύς, ὅαρος) darf wohl als eine reduplicirte Form gelten für ϝαϝαρίζω." Cui derivationi quamquam literae minime obstant, possit tamen aliquis suspicari, verbum sine reduplicatione formatum esse, ut forma primitiva sit ϝαρίζω et ο e simplici digammo ortum esse, id quod saepius fieri constat. Quod si factum esset, digamma initiale esset rejiciendum. Ceterum locis Homericis comparatis loquendi significationem primariam esse mihi nullo modo persuasum est. Immo latiore sensu videtur accipi posse, ut sit amicissime cum aliquo versari, id quod et explicationi nominum ὀαριστής et ὀαριστύς magis favet et posteriore usu quasi amatorio commendatur cf. h. Merc. 58, 170, Ven. 249. Ita fortasse etiam ὅαρ cum his conjungere licet. Loci, quibus leguntur illa vocabula, ejusmodi sunt, qui neque digamma aperte demonstrent neque quominus pronuntietur, prohibeant: Z 156 ἦ ὀάριζε, „producitur η

quavis arsi saepissime", Hoffm.; P 228 πολέ|μου ὀα|ριστύς, τ 179 μεγά|λου ὀα|ριστής, utroque loco productio diphthongi fit in arsi, qua de re v. Hoffm. I, 60; N 291 προμόχων ὀαριστύν; X 127 τῷ ὀαριζέμεναι, ubi productio fit in arsi prima, quo loco ne Bekkerus quidem digamma posuit, nisi fallor, propter τ' ὀαρίζετον in sequente versu sine digammo pronuntiandum; Ξ 216 δ'ὀαριστύς. Itaque a digammi restitutione nobis abstinendum est.

ἔοικε, ἐίσκω, ἴκελος, εἴκελος, ἀεικής etc. Tot sunt in carminibus Homericis consonae initialis vestigia, ut a multis praecipue iis, qui e solo Homero digammi indicia quaerebant, ne dubitatum quidem sit, quin huic verbo digamma sit attribuendum. Qui etymologia studebant, partim radicem ϝικ ponebant, partim cum verbo ἰδεῖν, ut Doederleinius, ἔοικε conjungere tentabant. At radix ϝικ hac quidem significatione praedita in nulla lingua adhuc reperta est, et quonimus de radice ϝιδ cogitemus et literae et significatio quam maxime obstant. Quid igitur? Num digamma ponamus argumentis e metrica ratione petitis contenti? Sane si nobis ipsis constare volumus, caute agendum atque versuum indiciis, quamvis, ut in hac voce, plurima sint, solis nihil certi posse demonstrari concedendum est. Sed quum quaerenda sit consona initialis, esse non potest nisi aut σ aut j. Curtius quidem, qui II, 228 copiosius de his vocibus exposuit, a litera j incepisse aliquo tempore radicem ἰκ argumentis gravissimis probare conatur, id quod hoc loco persequi longum est, quum nostra maxime intersit, ut adhuc nulla ratione digamma defensum esse demonstremus.

ἀοσσητήρ. Quum de digammo in mediis vocibus ponendo metricae rationis ope nihil possit statui, e sola etymologia Bekkerum de hujus vocabuli digammo conclusisse necesse est, quod unde derivarit non assequor. Fortasse ductus est glossis Hesychianis ὀσσητήρ et ἐοσσητήρ· βοηθός, ἐπίκουρος, quoniam plerumque hoc ε digamma indicat. Sed certum hoc non est testimonium. Si vocabuli etymon quaerimus, radix σεπ, quae latet in verbo ἕπω, ultra se offert.

Hujus enim litera finalis (cf. Latinum „sequi“) olim erat κ in voce ἀ-οσσητήρ ex ἀ-σοκ-j-ητηρ eodem modo servata, quo ὄσσα derivandum est a radice ϝεκ, quae in Graeca quidem lingua semper consonam finalem π habet. Ἀοσσητήρ igitur secundum hanc derivationem is est, qui aliquem sequatur vel qui cum aliquo in aliqua re versetur, ut verbi quoque ἕπω significatio latior est. Ab hac vero radice digamma plane alienum est; v. Curt. II, 48.

ἵημι, ἵεμαι. Bekkerus medias hujus verbi formas, ubi fieri potuit, digammo instruxit, in activis omisit excepto uno loco, Ψ 400, ubi ϝῆκε posuit. Quum ante medias formas viginti duobus locis hiatus minus excusati inveniantur, de consona initiali amissa recte concluditur. Sed a digammo quidem radicem incepisse, nullo modo certum est, verum multo probabilior est, quam Curtius I, 369, Philol. III, 5 proposuit, ratio. Is enim ἵημι causativum verbi ι (εἶμι) vel potius ἰε Sanscrito „jâ“ respondentis existimat, ut consona initialis j fuerit. Quaestio difficilior et longior est, quam de quo hoc loco copiosius agamus. Certe nobis cavendum est, ne digamma ulli hujus verbi formae restituamus, quum etymologia tam dubia sit.

Sequuntur nonnulla vocabula, quae aut ab alia consona atque ϝ aut a vocali incepisse linguarum comparatione apparet, quorum in numerum recensenda sunt haec: εἰνάτερες, ἰόμορος, εἵμαρτο, οὖρον, ἐριήρης, ἔερτο.

εἰνάτερες. Latina voce „janitrices“ comparata digamma rejiciendum esse demonstratur. De reliquis linguis v. Curt. I, 272.

ἰόμωρος. De significatione syllabarum μωρος recte definienda quamquam disputari potest multumque jam disputatum est, tamen quin priore parte compositi contineatur ἰός „telum“ comparato vocabulo ἐγχεσίμωρος et epitheto Dianae ἰοχέαιρα dubitare vix possumus. Sanscrita autem voce „ishus“, quae Graecae ἰός accuratissime respondet, digamma ab hac alienum esse arguitur.

εἵμαρτο. Quantum quidem e lingua Graeca concludi potest, radix hujus formae est μαρ, a qua derivantur vocabula significatione optima cum illo congruentia, ut μείρομαι, μέρος, μοῖρα alia. Concedendum quidem est et propter reduplicationis formam et propter spiritum asperum σ ante μ amissum videri, ut radix sit „smar", sed digamma ante μ ferri omnino non potuit, quo ne reduplicationem quidem ab hac consona incepisse sequitur.

οὖρον. Tribus tantum locis οὖρον (οὖρα) apud Homerum legitur: K 351 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀπέην ὅσσον τ' ἐπὶ οὖρα πέλονται, ubi Bekkerus digamma scripsit; Ϡ 124 ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιόνοιϊν, Ψ 431 ὅσσα δὲ δίσκου οὖρα κατωμαδίοιο πέλονται, quibus locis omisit. Fortasse Ψ 431 digamma non restituit, quod Ψ 524 in composito vocabulo δίσκουρα aperte neglectum est. Sed quid interest inter K 351 et Ϡ 124? Productio quidem hoc loco fit in arsi tertia ante caesuram semiquinariam et sine digammo optime ferri potest, at certe nihil obstat, quominus restituatur. Quare cur Bekkerus omiserit, non perspicio. Si eandem significationem omnibus locis vocem habere tenemus, id quod nulla ratione prohibetur, deducendum erit a radice ὀρ, quae latet in ὄρνυμι, ὄρωρα et movendi vel excitandi potestatem habet, ut οὖρον sit spatium, per quod quid moveatur. Huic vero radici, quae Sanscrito verbo „ar" (rnômi) respondet, digamma omnino denegandum est; v. Curt. I, 312.

ἐριήρης. Quum neque versu, quippe quo de media voce nihil demonstretur, adjuvemur neque compositionis genere, quoniam ἐρι- nunquam patitur elisionem, ad solam etymologiam nobis confugiendum est. Mihi quidem vocabulo Sanscrito „arjas" fidelis, amans comparato, certissimum videtur, ἐρι-ήρ-ης, ut Curtius I, 304 affirmat, derivandum esse a radice ἀρ, quae latet in ἀραρίσκω multisque derivationibus conjungendi vel artandi significationem tenentibus. Qna ratione digamma rejiciendum est. Num forte Bekkerus hanc vocem cum ἦρα (ἦρα φέρειν), cui digamma tribuit,

conjunxit? At ne hujus quidem origo adhuc investigata est neque aliud licet statuere nisi neque impedire ullum locum, quin de consona initiali cogitemus, et σ 56 productione, quae est in altera thesi, aliquam consonam vocis initio adhaesisse veri simile fieri. De digammo certe nihil constat.

ἔϝερτο ο 460, ἐϝερμένος σ 296. Quin verbum εἴρω ejusdem originis sit, cujus Latinum „sero", dubitari non potest, praesertim quum in ipsa lingua Graeca nomen σειρά literam σ servarit. Consonam quidem initialem radicis eodem modo ostendunt ἤειρε (K 499) et ἠερέϝονται (Θ 418), sed ultro progredi Graecam linguam spectantibus non licet, quamquam de radicis vetustissima forma σϝερ quadam cum veri similitudine cogitari posse non nego.

Restant haec vocabula: ἄδος (ἀδηκώς), ἀραιός, ἔϝνος, ἧκα (ἥκιστος), ἧνοψ, ἤριον, ἰδέ, Ἴλιος, Ἰκάριος, Ἴρος, ἰωή, ἰωκή, οἰήιον, οἴηξ, de quorum derivatione nihil habeo, quod proferam, neque quantum scio, quisquam adhuc certi aut veri simile quidquam de iis docuit.

Enumerationem vocum a Bekkero digammo ornatarum supra factam si comparaveris cum iis, quae de dialectorum reliquiis et singularum etymologia exposuimus, triginta fere invenies, quibus digamma aut injuria aut sine ullo certo quidem indicio attributum sit; quumque inter eas numerandae sint, quae saepissime apud Homerum leguntur, velut ἔοικα, quaeque inde derivantur, ἵεμαι, ἔϝνος, ἕκαστος, facile, quanta sit locorum multitudo, quibus, ut nunc quidem res sunt, digamma scribi non debeat, intelligitur. Nonnullas quidem etiam ex his voces esse, quae fortasse jure digammo instruantur, libenter concedo et si quis unius alteriusve originem ita investigaverit, ut in aliqua lingua cognata digamma exstare demonstret, multi ei gratias habebunt. Sed mihi nunc quidem necessarium videtur, ut quorum vocabulorum digamma aut dialectis aut aliis linguis ostenditur, ea secernantur ab iis, quae his testimoniis carent. Qua in re si cui brevior fuisse videar, eum moneo, mihi non etymologicum opus con-

scribere propositum fuisse, sed etymologia me ita tantum uti debuisse, ut demonstrarem, quam multa in hac quaestione dubia essent atque incerta, quod ad probandum saepe brevem annotationem sufficere in aperto est.

Paucis commemorabo vocabula Homerica quaedam, quibus digamma initiale olim fuisse etymologia demonstratur neque a Bekkero adscriptum est, ut quaerendum sit, quibus de causis omiserit. Sunt quidem εἴρομαι, ἐμέω, ἕξ, ἧλος, ἱδρώς, ἴρηξ, ὄχος, ὁράω, ὠϑέω, ὤνος (ὠνητός), de quorum derivatione v. Leo Meyer Vergl. Gr. I, 77. Verbum ὁράω jam antiquissimo tempore digamma initiale amisisse, ex eo apparet, quod quamquam fere septuagies in duobus carminibus legitur, hujus literae vestigium nullum ostendit, ut restituere non liceat, nisi textus mutetur. Jure igitur Bekkerus hujus verbi formas integras reliquit. Idem dicendum est de ἱδρώς, ἱδρόω quaeque ab his derivantur, nam quatuordecim locis plane neglectum est digamma aut elisione facta aut longa vocali ante correpta, aut brevi syllaba in consonam desinente non producta (Θ 543, K 572, Λ 119, 620, N 705, 711, O 241, Π 109, P 385, 745, Σ 372, Φ 51, Ψ 658, δ 39), decies aut initio versus legitur aut ita, ut antecedat longa syllaba consona finita aut ν ἐφελκ. (B 388, 390, Δ 27, E 796, K 574, Λ 598, 811, Φ 561, X 2, Ψ 507). Tot vero locis aut prohibentibus aut nihil demonstrantibus uno, qui restat Δ 27 ἱδρῶ ϑ'|ὃν ἵδ|ρωσα, quamquam optime digamma admittit, adponere temerarium esset. Ne longus sim in enumerandis omnibus locis, quibus εἴρομαι, ἐμέω, ἧλος, ἴρηξ, ὄχος (ὀχέω), ὠϑέω, ὤνος leguntur, satis sit affirmare, eundem eorum in carminibus Homericis usum esse, quem in vocibus ἱδρώς, ἱδρόω modo demonstravi, ut justa digammi adscribendi causa defuerit. Semel, ne hoc omittam, syllaba brevis in consonam desinens ante ὤσαντο producta legitur Π 592, quae productio satis excusatur caesura semiseptenaria. Sed omnino restituendum erat Bekkero vocabuli ἕξ digamma, nam duobus tantum locis neglectum est, Ψ 741

τε|τυγμένον· | ἕξ, ω 497 'Οδυσῆ' ἕξ, duobus autem, id quod certissimum est consonae initialis amissae indicium, antecedens dativus οἱ productus est E 252, χ 252, semel brevis syllaba in consonam desinens producta θυγατέ|ρες ἕξ | Ω 601, semel productio longae syllabae servata π 248, denique qui restant loci, ἕξ initio versus habent E 641, H 247, Ω 399, ι 60, μ 90, 246, ut inter duodecim versus decem sint, qui digamma patiantur.

Sed universa quaestio multo difficilior fit eo, quod permultis locis verborum formae aut reduplicatione aut augmento instructae inveniuntur, de quibus quid judicandum sit, accuratius exponendum est. Qua in disputatione id mihi ante omnia tenendum videtur, digamma, utut pronuntiatum sit posteriore tempore, consonam quondam fuisse consonaeque vices habuisse, id quod et linguis cognatis et multis carminum Homericorum exemplis dilucide demonstratur. Sed quum de hac re, quod raro fit, ipsius Bekkeri sententiam scriptam habeamus (Hom. Blätter 133), de ea initium faciamus. „Wenn irgendwo", ait Bekkerus, „ist das Digamma an οἶδα wahrscheinlich, das nebst seinem Praeteritum ᾔδεα oder ἠείδεα und seinem doppelten Futurum εἰδήσω und εἴσομαι in Ilias und Odyssee zusammen gegen 280 mal vorkommt und an allen diesen Stellen, höchstens 15 ausgenommen, den Aeolischen Laut verlangt oder verträgt, überdies verwandt ist mit videre und ‚wissen' — οἶδα aber ist ein Perfectum von εἴδω wie λέλοιπα von λείπω und πέποιθα von πείθω, nur ohne Reduplication, nirgend eine Spur von ϝέϝοιδα, was doch unumgänglich war, wenn das Digamma Consonant ist. In derselben Voraussetzung ermangeln εἶμαι, εἴλυμαι, εἴρηκα, εἴρυμαι jenes wesentlichen Bestandtheils." Primum his exemplis nihil probatur, quoniam in εἴλυμαι, εἴρηκα, εἴρυμαι diphthongum non ex ipsa reduplicatione natam esse demonstrandum erat. Si enim, ut et tempus perfectum et ratio etymologica postulat, εἴρημαι e ϝεϝρημαι ortum esse putamus, neque reduplicatio huic verbo deerat, et diphthongus ει optime eo

explicatur, quod altero digammo amisso syllaba, quae positione longa erat, vocalis productione longa manet, quae communis est linguae Graecae lex. Similiter judicandum est de perfectis εἴλυμαι et εἴρυμαι. Paullo majoris momenti videtur εἷμαι, cujus etiam plusquamperfectum ἕστο (Ψ 67) sine reduplicatione formatum legitur, verum ne hoc quidem probatur, reduplicationem ab origine defuisse, sed tantum postea esse abjectam. Certe propter hoc unum exemplum legem antiquissimam et certissimam, qua tempus perfectum non modo Graecae linguae sed omnium cum ea cognatarum formatum esse scimus, irritam reddere nullo modo licet. Οἶδα vero reduplicationem amisisse, etiam Sanscrito verbo „vêda" et Gothico „vait" comparatis elucet. Praeterea in lingua Gothica constat plurimorum verborum perfecta formari sine reduplicatione, sed ab origine adfuisse certum est. Quid igitur miremur, si quod in hac lingua invaluerit, in cognatis hic illic factum sit? Bekkerus statim post verba laudata hunc in modum pergit: „Daraus ergiebt sich, was wunderlich klingen mag: das Digamma überall im Untergehen begriffen hat unter andern Abschwächungen auch die erlitten, dass es Consonant nur nach aussen geblieben ist, Position machend und Hiatus tilgend, nach innen aber zum Spiritus geworden, der sich im Anlaut der Praeterita mit temporalem Augment und gegebener Länge begnügt." Qua in conclusione id maxime vituperandum est, quod a perfectis statim ad tempora praeterita transitur vel potius perfectum ipsum inter ea numeratur, quum inter reduplicationem et augmentum accuratissime distinguendum sit. Augmentum enim tam infirmum esse constat, ut ubique abjici possit, perfecti contra reduplicationem, quae pars est stirpis perfecti, non posse omitti uno alterove verbo excepto vidimus. Deinde quid hoc est? Digamma semper consonae vices gerere, ut longarum vocalium productionem servet, hiatus tollat, alia, sin vero augmentum addatur, quod cum stirpe verbi nihil commune habet, naturam commutare et aug-

mentum quodam modo in verbi stirpem supersilire pati dicitur. Alterum tantum fieri potuit, ut aut augmentum, si pronuntiaretur digamma, anteponendum esset, aut, si vel in spiritum transmutatum vel plane omissum esset, verbum eodem modo formaretur, quo reliqua a vocali litera incipientia. Sed nunc de perfectis agamus. Bekkero igitur longa vocalis formae εἴρυμαι ceterarumque augmenti temporalis signum videtur, qua ratione verbi ἔργω perfectum proprie fuerit ὦργα (cf. Homer. Bl. p. 137, * 19). At quum nusquam ejusmodi perfecta legantur, saepissime autem inveniantur formae ἔοργα, ἔολπα, quid sibi velit hoc ε, quaerendum est. Bekkerus quidem hanc vocalem, ut pronuntiatio minus difficilis fieret, anteposita esse censet, ut quum aliquo tempore formari potuerit perfectum ϝόργα, illa vocali addita factum sit ἔϝοργα. Negari non potest, vocabulis, quae ab origine a digammo incipiebant, nonnullis eam vocalem additam esse, ut in carminibus Homericis leguntur ἔεδνα, ἐέρση alia. Quae quidem exempla ad Bekkeri sententiam defendendam nihil valent, quod et perfectum ϝόργα nunquam fuit et in ipsis carminibus Homericis digammi ante ε h. e. ante reduplicationem ponendi certa sunt indicia, ut ipse Bekkerus B 272 aliisque locis ϝέϝοργε scripsit. Quid igitur? Num antiquissimis temporibus reduplicationem modo addere, modo omittere licuit et ejus loco ε prostheticum ponere? At quomodo singulis locis Bekkerus egerit, videamus.

Γ 57	ὅσσα ϝέϝοργας	hiatus	in	thesi	quinta	
Φ 399	ὅσσα μ' ἔϝοργας	„	„	„	„	
Χ 346	οἷα μ' ἔϝοργας	„	„	„	„	
Β 272	ἐσθλὰ ϝέϝοργεν	„	„	„	„	
Γ 351	κάκ' ἔϝοργεν	„	„	„	„	
Ε 175	πολλὰ ϝέϝοργεν	„	„	„	„	
Θ 356	„ „	„	„	„	„	
Π 424	„ „	„	„	„	„	
Ι 223	πολλὰ ϝεϝοργώς	„	„	„	„	
δ 693	ἄνδρα ϝεϝώργειν	„	„	„	„	

ξ 289 ἀνϑρώπους εἰϝώργειν
χ 318 οὐδὲν ἐϝοργώς.

Bekkerus igitur, ubi fieri potuit, ϝέϝοργα scripsit reduplicationemque admisit idque suo jure, quoniam hiatus in pede quinto maxime intolerabilis est. Aliis locis quum elisio fiat, ut digamma initiale non pronuntiatum esse appareat, secundum Bekkeri sententiam ε est prostheticum. Nos autem quum supra de ejusmodi prosthesi hic quidem cogitari non posse, viderimus, ε verum reduplicationis signum habemus et ubi elisio fiat, digamma amissum esse existimamus. Verum ejecto digammo initiali alterum post reduplicationem servatum esse veri dissimillimum est. Quam ob causam talibus locis digamma omittendum erat. Restat ut paucis de plusquamperfecti formis ϝεϝώργειν et εἰϝώργειν exponamus. Bekkerus vocalis productionem augmenti temporalis signum esse ducit, id quod formationi temporis repugnat, quod ab origine ἐϝεϝόργειν vel omisso augmento ϝεϝόργειν erat. Productionem quidem Ebelius (Kuhn Zeitschr. IV, 171) ingeniose mihi videtur explicasse, qui eam ortam esse censet ex ipso digammo amisso, quod ut e βασιλεϝα fiat βασιλῆα et βασιλέᾱ, ita etiam in verbis aut antecedentem aut sequentem vocalem produci potuerit, qua ratione e ϝεϝόργειν amisso digammo factum sit ἐώργειν et ex ἐϝείδην ἠείδην, εἰώργειν vero contractis duobus ε ex ἐϝεϝόργειν.

In aliis verbis etiam iis locis, quibus sine difficultate legi potest reduplicatio, eam non admisit Bekkerus, ut T 173, σ 422 πᾶσιν ἐϝαδότα, quamquam persaepe ν. ἐφ. ejecit. Sed l. l. p. 135 diserte se hoc ε prostheticum existimare dicit. At quo argumento hoc probari potest? Nonne ut ipse duas formas ἔϝοργα et ϝέϝοργα statuit, ita etiam verbum ἀνδάνω reduplicatione uti potuit? Tamen concedam, digamma hujus perfecti initiale rejici posse, sed alia de causa, quum enim radix sit σϝαδ, propria perfecti forma sine dubio fuit σεσϝαδα, cujus reduplicationi ϝ deest. Quae ratio fortasse defenditur spiritu aspero, quem ego non cum Bekkero ab

hac voce alienum esse putem. Etiam Λ 559, ubi Bekkerus habet ἀμφὶς ἐϝάγῃ, ejecta σ litera forma reduplicata ϝεϝάγῃ restitui potuit neque erat, quod p. 134 hoc cum irrisione quadam rejiceret. Porro eandem, quam in ἔοργα vidimus inconstantiam, in perfecto simillimo ἔολπα animadvertimus: Υ 186, Φ 583, Χ 216, Ψ 315 vocalis antecedens eliditur, quam ob causam Bekkerus scripsit ἔϝολπα; contra β 275, γ 375, ε 379, quibus locis hiatus sunt in thesi secunda, ϝέϝολπα, denique ubi antecedit ν ἐφ. hoc intactum reliquit φ 96, 317, υ 328, Τ 327 στήθεσσιν ἐϝώλπειν, ω 313 νῶϊν ἐϝώλπειν. Sed iterum quaeram, unde sciamus, his locis nunquam fuisse formas reduplicatas, sed ν ἐφ. ex initio positum fuisse. Nonne, ut alibi ante voces digammo olim instructas ν ἐφ. ad hiatus vitandos insertum est, idem hic quoque suspicari licuit? De ἔωθα idem dicendum est quod de ἔκδα, radix quum inceperit a σϝ, reduplicationem non ϝ sed σ initiale habuisse, neque est in carminibus Homericis digammi vestigium, quum aut ante ε fiat elisio Ε 766, Θ 408, 422, ρ 394, aut syllaba longa in consonam cadens antecedat Ϝ 203, aut vox initio versus posita sit Ζ 508; Ο 265. Unus praeterea hiatus Ε 231 ἡνιόχῳ εἰϝωθότι, ut qui sit in caesura semiquinaria, optime fertur. Perfecti ἐέλμεθα digamma quo demonstretur initiale, nullus in Iliade locus invenitur, nam Ω 662 ἄστυ ἐέλμεθα et Σ 287 κεκόρησθε ἐελμένοι hiatus sunt in caesura tertii pedis trochaica, atque Μ 38 et Ν 524 antecedit ν ἐφ., quibus locis omnibus Bekkerus ἐϝελμ. scripsit. Attamen nullus horum locorum, quin digamma initiale ponatur, impedit. Quid vero intersit inter perfecta ἔοργα et ἔελμαι, ut illud interdum utatur reduplicatione, hoc nunquam, non intelligitur. Illud quidem, ἔοργα dico, interdum in iis versuum sedibus positum est, ubi hiatus illiciti existimandi sunt, hiatus autem, qui ante ἔελμαι inveniuntur, excusari possunt. Qua ratione concedo uti posse aliquem, qui ibi tantum digamma ponat, ubi propter metrum necessarium est; Bekkero autem, qui non modo ejusmodi locis sed ubique

digamma restituit, ubi metro non prohibetur, quique reduplicationem a ϝ incipientem pluribus locis scripsit, etiam ϝεϝέλμεδα ponendum erat.

Difficilius erit certi aliquid statuere de perfecto ἔεργμαι, cujus formae digamma initiale respuunt: γέ|φυραι ἐ|εργμέναι E 89, κλαί|οντες ἐ|έρχατο κ 241. Bekkerus sua ratione ἐϝεργμέναι et ἐϝέρχατο scripsit. Alibi perfectum non invenitur nisi amissa reduplicatione, semel quidem in hiatu ἔϑνεα ἔρχατο ξ 73, quo, quum sit in fine pedis quarti, nihil demonstratur, at quum idem non obstet, quin digamma ponatur, Bekkerus hoc loco scripsit ϝέρχατο, ut κ 283, ι 221, ubi initiis versuum, quibus nihil probari potest, legitur. Deinde Π 484, P 354, ubi breves syllabae in consonam desinentes antecedunt, digamma neglectum est. Aequabilitas igitur nullo modo efficitur. Sed quum perfectum ἔρχαται nulla reduplicatione addita formatum sit, concludere aliquis possit, ε formarum ἐεργμέναι et ἐέρχατο revera esse prostheticum, ut Bekkerus vult l. c., ideoque de digammo initiali neglecto non posse cogitari. Quae res quamquam dijudicari non potest, tamen qui quam aegre perfectum reduplicationis signo careat, meminerint, semper eo inclinabunt, ut in illo ε reduplicationem quaerant digammaque illis locis amissum esse statuant. Mihi quidem Buttmannus (gr. II, 126) perfectum ἔρχαται recte explicasse videtur, qui eo tempore formatum esse existimat, ubi jam verbi ἔργω digamma evanuerit, quo amisso verbum non potuerit reduplicari.

De ἔοικα formisque ab eo derivatis, quum quam incertum sit digamma, supra viderimus, nunc accuratius quaerere supersedemus.

Ut denique quae de perfectis disputavi breviter repetam: ε stirpi antepositum non prostheticum existimandum sed semper pro reduplicatione habendum est, ubicunque igitur ante id aut elisio aut syllaba brevis in consonam desinens non producta aut longa vocalis correpta invenitur, digamma amissum est; deinde quum ubique digamma initio vocum

firmius esse soleat quam in mediis, etiam post illud ε digamma amissum esse veri simillimum est.

Transeamus ad quaestionem hujus non dissimilem, quae est de augmento verborum, quae huc pertinent. Supra quid Bekkerus de duplici, qua et consonae et spiritus vices gerat, digammi natura censeat, vidimus. Eodem loco sic pergit: „Solch eine Zwitternatur des Digamma (qua augmentum temporale vocalemque productam in temporibus praeteritis admittat) überhebt mancher Aenderung, die sonst nothwendig und unbedenklich scheinen könnte; warum z. B. sollen wir noch ϝεῖδον auflösen in ἔϝιδον, wie leicht das auch meist angeht, oder gar mit Gewaltsamkeit ϝήνασσεν in ἐϝάνασσεν, und ϝήνδανεν in ἐϝάνδανεν, selbst ἐϝωνοχόει lassen wir in Ruhe; das ε zu Anfang ist das von ἐϝείκοσι, ἐϝίσας her bekannte, leichterer Aussprache zu Liebe vorgeschlagene.“ Jam supra diximus, augmentum nullo modo pertinere ad verbi stirpem sed accessorium esse, ut si digamma consona sit, id quod Bekkerus concessit, ei praefigendum sit, cujus rei apud Homerum plurima exstant exempla, velut ἐϝάγη et ϝάγη, ἐϝείλεον et ϝείλει, nisi forte Bekkerus hoc quoque ε prostheticum habet. Nobis sane tenendum est, ε harum formarum revera esse augmentum syllabicum, quod si desit, imperfectum vel aoristum a digammo incipere, ubi vero prima vocalis producta sit, augmentum quod dicunt temporale locum habere atque digamma amissum esse. Sic judicandum est de ϝήνδανε, ϝήνασσε, ϝείρυσε, ϝεῖδον, ϝῴκεον, ϝῴκηϑεν, quas formas Bekkerus omnes digammo instruxit. At dicat aliquis, versibus Homericis eorum digamma defendi. Videamus igitur, quibus versuum locis legantur quaeque sint digammi vestigia.

Digamma formae ϝήνδανε nusquam necessarium est, nam π 398, ρ 173 initio versus legitur, Σ 510, γ 150, ϑ 506, ξ 337 ν ἐφ. antecedit, κ 373 antecedentem particulam οὐχ Bekkerus in οὐ mutavit; restant hi loci: A 24, 378, O 674, ε 153, quibus hiatus inveniuntur, sed quum sint in fine

pedis quarti simulque antecedens vocabulum desinat in vocalem ι, non est, quod iis offendamur. Neque aliter se habet ἤνασσε: Ἀργεί|ων ἤ|νασσε Κ 33, κρατέ|ων ἤ|νασσε Π 172; ἑπτάετες δ' ἤνασσε, quo loco Bekkerus δ' ejecit; Καδμεί|ων ἤ|νασσε λ 276. Uno denique loco Π 572 ναιομέ|νῳ ἤ|νασσεν ante ἤν. productio diphthongi servatur, sed fit et in arsi et est vocalis ῳ, quae quavis arsi produci potest, v. Hoffm. I, p. 60, ut certum digammi indicium non habeamus. Si igitur nihilo minus digamma, ubi fieri potest, restituere studemus, revera, id quod Bekkerus rejecit, restituenda est plena imperfecti forma ἐϝάνασσε, quae omnibus illis locis ferri potest, etiam Π 572, quum, ut vidimus, productio et arsi et vocalis natura defendatur.

Sequitur aoristus verbi ἐρύω. Cujus naturam ad explicandam nihil valent ii loci, quibus Bekkerus pro ἐξείρυσεν scripsit ἐκϝείρυσεν, hos igitur nostro jure omittimus. Indicativus aoristi legitur aut initio versus: Α 186, Θ 226, Λ 9, Ξ 32, Υ 93, Φ 230, Τ 863, κ 165 (Ο 274 digamma, ut videtur, vitio in B. editione omissum est), aut antecedit syllaba longa in consonam desinens: Χ 306, ϑ 85, χ 79, aut ν ἐφ. a Bekkero ejectum est: Γ 373, Σ 165. Unus denique locus propter elisionem factam digammi restitutioni plane repugnat β 389 ἄλαδ' εἴρυσε, ubi etiam Bekkerus omisit. Nusquam igitur digamma necessarium est. Sed ejusdem aoristi ceteri quoque modi interdum a diphthongo ει incipiunt. Quae quidem diphthongus quum explicari non possit ex augmento, ε prostheticum additum esse existimandum est, ut exempli gratia εἰρύσσασϑαι factum sit ex ἐϝερύσσασϑαι, cujus digammo amisso ε-ε in ει contractum sit, id quod probatur infinitivo ἐέλσαι eodem ε instructo. Quam ob causam digamma initiale hae quidem formae habere non possunt, atque revera tribus locis Ρ 327, Θ 143, Α 216 antecedit brevis syllaba in consonam desinens, ut quo jure Bekkerus π 459 φρεσὶ ϝειρύσσαιτο ν ἐφ. ejecerit, non intelligatur. Idem valet de futuro εἰρύσσονται Σ 276, quod, quum diphthongus

antecedens corripiatur ἑ|ζευγμέναι| εἰρύσσονται, digammo ornari omnino non potest. De aliis quoque ejusdem verbi formis operae pretium erit paucis exponere. Perfectum εἴρυμαι formatum est reduplicatione, ut primaria forma sit ϝεϝέρυμαι, altero vero digammo ejecto contractisque vocalibus ϝείρυμαι. Cujus quamquam digamma nullo loco propter metrum quidem necessarium est, tamen in nulla versuum sede invenitur quae quominus ϝ scribatur, prohibeat; aut enim initio versus legitur, ut Δ 248, ζ 265, aut antecedit syllaba longa in consonam desinens, ut Ξ 30, N 682, Σ 69, aut diphthongus non correpta, ut Ξ 75, O 654. Quae quidem productio quum fiat in arsi tertia ante caesuram semiquinariam, non est digammi indicium, sed quum ipsa temporis formatione digamma initiale defendatur, jure restituitur. Deinde imperfectum quum ut aoristus augmentum habeat, ut εἴρυτο ortum sit ex ἐϝέρυτο, digammo initiali ob eam causam caret. Ceterum quum saepius difficile sit inter imperfectum et plusquamperfectum distinguere, me quae quoque loco forma sumenda sit, e sententiarum conexu conclusisse, prius moneo. Locis, quibus diphthongo antecedit syllaba longa in consonam desinens Π 542, Ω 499, χ 90 nihil probatur (hoc quidem Odysseae loco cur Buttmannus, p. 135 ann. εἴρυτο plusquamperfectum existimarit, non assequor quum nulla necessitate εἴρυτο δὲ φάσγανον ὀξύ „stricto gladio" vertere cogamur, sed „stringens gladium" optime in conexum loci quadret. Sane εἴρυντο M 454 utrum plusquamperfectum sit an imperfectum dubitari potest, sed non multum nunc refert, quoniam quum antecedat syllaba longa in consonam cadens digamma certe non requiritur). Alicujus momenti videtur ψ 229 ἢ νῶι|ν ϝεί|ρυτο (B²), at productio in caesura semiternaria ante trochaicam tertii pedis facta fere nihil valet, v. Hoffm. I, p. 102 et cf. E 622 ὤμοι|ιν ἀφε|λέσθαι. Restat unus locus, qui aperte digammo repugnat X 30 |πρόφρονες| εἰρύατο. Reliquum est praesens, quod quum et ἐρύω et εἰρύω pronuntiatum sit, εἰρύω factum esse putandum est ex ἐϝερύω, ε prosthetico addito. Semel in thesi

prima hiatus invenitur ante infinitivum, quem Hoffmannus I, p. 91 etc. nihil demonstrare censet, quum multis exemplis, ubi digamma abest, defendatur; initio versus legitur ψ 151, longa syllaba in consonam desinens antecedit γ 286, duo denique loci digamma restitui vetant Λ 239 |πρὸς Διὸς| εἰρύαται et π 463 αὖθ' εἰρύαται, ubi ne Bekkerus quidem conatus est inferre. De εἰρυόμεσθα Φ 588 dubitari potest, sed sive imperfectum est sive praesens, et formatio et versus |Ἴλιον| εἰρ. digamma huic voci deesse demonstrant. Omnia autem quae de aoristi et imperfecti et praesentis formis digammo non instruendis disputavimus, eo graviora sunt, quo certiora digammi indicia ostendunt formae a simplici ε incipientes.

Similiter judicandum est de formis εἶδον, εἶδες, εἶδε, εἴδομεν (reliquae indicativi personae non leguntur), εἴδοντο. Quum enim radix sit ϝιδ, aoristi propria forma esse non potest nisi ἔϝιδον, postea ejecto digammo contractisque vocalibus εἶδον. Atque locis Homericis probari potest, non positas esse has formas in ulla versuum sede, quae digamma necessario requirat, aut enim initio versus leguntur: Λ 112, Τ 292, κ 194, aut antecedit syllaba longa in consonam desinens: Γ 154, Ε 515, 572, Δ 149, 275, Η 308, Θ 251, Ο 484, Π 278, 818, Ρ 724, Τ 16, Υ 424, Φ 207, Ψ 874, δ 524, κ 453, λ 298, aut hiatus eo versus loco occurrit, ubi ipse Bekkerus admisit ρ 31, aut ν ἐφελκ. ab eodem deletum est ω 445. Duobus locis ille ipse digamma, quod propter metrum ferri non potest, omisit λ 162 οὐδ' εἶδες, ι 182 ἐσχατί|η σπέος| εἴδομεν. Duo denique loci digamma commendare videntur, λ 281 Χλῶ|ριν εἶ|δον, sed „accusativus earum vocum, qui est in -ιν quavis arsi produci potest" (Hoffm. I, p. 99, cf. Σ 157 θοῦ|ριν ἐπι|ειμένοι), λ 576 Τίτυ|ον εἶ|δον, qui locus est paullo majoris momenti, quod caesura semiternaria quae est ante semiquinariam fit productio, quae quidem ab Hoffmanno I, p. 104 (§. 75, 1) inter duriores recensetur (tamen non desunt exempla cf. Γ 40, Π 269). At qui ex hoc uno loco formam εἶδον digammo esse instruendam concludere velit, ei bis

aperte neglectum λ 162, ι 182 opponere possumus, e quibus locis eodem jure digamma huic aoristo denegandum esse colligi potest. Sed res dijudicari non potest sola ratione metrica neque unus ille locus tantum valet, quo quis nisus omnem grammaticae formationis analogiam nihili aestimet. Ergo qui digamma restituere studet, eum necesse est εἶδον in ἔϝιδον dissolvere, id quod quamquam longe plurimis locis versu non repugnante fieri potest, tamen ejusmodi violentiam nullo modo commendabo. Qui tamen ante augmentum digamma ponat, eum non minus violenter agere certum est.

Porro Bekkerus scripsit ϝῴκεον, ϝῴκηϑεν; ᾤκεον bis legitur initio versus Ξ 116, ι 400, semel post longam syllabam in consonam desinentem Υ 218; hiatus τριχϑὰ δὲ ᾤκηϑεν est in thesi prima eaque excusatus, v. Hoffm. I, p. 91.

Quae igitur ex hac disputatione colliguntur, haec sunt: et ratione grammatica, quominus ante augmentum digamma ponatur, omni modo prohibetur, neque propter metrum id usquam requiritur. Quibus argumentis ducti jure, credo, harum formarum digamma ubique rejicimus.

Restat, ut pauca addam de imperfectis ἐήνδανε et ἐωνοχόει (ἐϝήνδανε, ἐϝωνοχόει B²), quae Bekkerus se intacta reliquisse dicit. Nobis quidem addito digammo mutatio facta videtur, quae fieri non debebat. Ille, qui vocalem productam augmenti loco habet, ε prostheticum esse censet, ut supra vidimus, sed augmentum, quod dicitur, temporale pronuntiato digammo admitti non potuisse cognovimus, quam ob causam alia hujus productionis explicatio quaerenda est. Propria imperfecti formi fuit ἐϝάνδανε, ἐϝοινοχόει et digamma amissum idem effecit, quod in plusquamperfectis ἐώργειν et ἐώλπειν, ut subsequentem vocalem produceret. Qui igitur digamma servare velit, cum necesse est scribere ἐϝάνδανε et ἐϝοινοχόει. Vix est, quod dicam, ratione plane diversa formatum esse εἶπον et ἔειπον, εἶπον enim e radice ϝεπ reduplicatione factum est, ut primum fuerit ϝέϝεπον, deinde digammo e media voce ejecto ϝεῖπον, quod certissima ostendit in

carminibus Homericis digammi vestigia, additoque augmento ἐϝέϝεπον ἔϝειπον eodem modo quo ἐπέφραδον et quae sunt similia.

Jam supra aliquoties de ε prosthetico dixi et Bekkerum eo in verborum formis construendis non raro abusum esse demonstravi, sed est in carminibus Homericis quidam hujus literae usus, cujus vestigia in lingua Graeca etiam postea satis multa cernuntur. Ex Iliade quidem huc pertinent haec vocabula: ἕεδνα, ἐείκοσι, ἐέλσαι, ἐέλδωρ, ἐέργω, ἐέρση, ἐεισάμενος. Bekkerus post primum ε digamma restituit, id quod quum metro neque confirmetur neque refutetur, quo jure fecerit, quaerendum est. Duae enim proponuntur rationes: aut digamma radicis initiale transiit in vocalem ε, quo illud non esse scribendum appareat, aut ε revera est prostheticum, h. e. ante ipsum digamma positum, ut jure restitui possit. Hoffmannus II, p. 10 posteriorem sententiam rejecit hac ratiocinatione usus: „sunt qui putent, digamma fuisse post literam ε. Ita censet Heynius. Demonstrent ita fuisse. Sed non poterit demonstrari. Non enim solet aliis in vocibus abundare litera ε initialis (augmentum mitto), cur igitur tam saepe abundet ante digamma? Et obstat id potissimum, quod εε saepissime contrahitur in ει (εἰρύω, εἰαρινός). Patet igitur, digamma abiisse in literam ε.“ Qua in re vir doctus fallitur, primum enim etiam in aliis vocibus abundat litera initialis ε, ut in ἐρεύγομαι, erugere, ructare, ἐρυθρός, rufus, ruber, ἐχθές -χθές, deinde εε in ει contracto nihil demonstratur, quoniam contractio facta esse potest post amissum digamma. Bekkerus ipse priorem sententiam recentiorum quarundam linguarum analogia defendet (l. l. p. 133: „das ε zu Anfang ist das von ἐϝείκοσι, ἐϝίσας her bekannte, leichterer Aussprache zu Liebe vorgeschlagene, wie wir demselben auch in romanischen Sprachen vor dem unreinen s begegnen: escalier, estampe, espada, estrella“). Atque pluribus de causis haec ratio videtur praeferenda esse, in aliis enim dialectis hujus ε loco α invenitur antepositum, ut Creticum est ἄερσα pro ἐέρση, vocalis autem α sono labiali tam alienum est, ut

vix ϝ in α transire potuisse credibile sit, deinde, id quod maximum esse existimavit Curtius II, p. 156, quibusdam in vocibus post ε vel α digamma in vocalem υ transmutatum itaque quodammodo servatum est, ut in αὖλαξ i. e. ἀϝλαξ, εὖληρα Ψ 481 (Hesych. αὔληρον, ἄβληρον) a radice ϝελ deducendum, εὔκηλος ex ἐϝεκηλος factum. Quas ob causas, quamquam res pro certo demonstrari non potest, tamen ε ante digamma positum esse veri simile est. Ceterum ut hoc addam, e sola pronuntiationis molestia fere nihil concludi potest, quum ad hanc tollendam aeque mutatio digammi atque prosthesis vocalis cujusdam auxilio sit. Contractionem quidem in carminibus Homericis praeter exempla verborum supra allata non invenimus nisi in duabus vocibus, quae sunt εἰαρινός et εἰανός (Π, 9) a Bekkero digammo instructae. Εἰανός versus initio legitur, quo fit, ut de digammo e metro judicari non possit; neque in εἰαρινός versus requirunt, quater enim invenitur locutio ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ B 471, Π 643, σ 367, χ 301, ubi si ὥρῃ ἐν per synizesin contrahitur, digamma non est necessarium. Deinde B 89 ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν Bekkerum ν ἐφ. delere necesse erat, O 307 denique νοτίῃσι τε εἰαρινοῖσιν hiatus est in fine pedis quarti, quem multis exemplis excusari demonstravit Hoffmannus I, p. 90. Tamen equidem rem in dubio relinquam atque ϝειαρινός fortasse recte se habere concedam, quod quum ϝεαρινός mensura utatur hexametro perincommoda, prima syllaba eodem modo quo vocis ἀθάνατος producta esse potest ob solam metricam rationem. α prosthetici apud Homerum nullum exemplum invenitur, nisi huc referendum est ἀν-άεδνον, quod Bekkerus in ἀν-ἐϝεδνον mutavit Bentleyi conjecturam secutus, neque analogiam simplicis vocabuli hoc suadere negari potest.

Aptissimum videtur quaestioni de ε prosthetico institutae subjungere disputationem de pronomine tertiae personae faciendam, quoniam complures hujus pronominis formas illa litera auctas esse vult Bekkerus, qui has in Iliade ponit: gen. ϝέθεν, ϝεῖο, ϝεῦ, dat. ϝοῖ, ϝεοῖ, acc. ϝέ, ϝεέ, poss. ϝός,

ϝεός, ἐϝός. (Copiose de iis disputavit Rumpfius in Jahnii ann. 81, p. 683 etc., et ita quidem, ut quaestionem, quod ad etymologiam attinet, ad finem perduxisse videatur.) Stirpem pronominis fuisse „sva“, quam in lingua Graeca σϝε fieri necesse erat, linguarum comparatione nunc constat. Ipsa stirps latet in forma genitivi loco usurpata, quae est ἕθεν facta ex σϝέθεν vel amissa σ litera ϝέθεν. Hanc igitur formam digamma initiale habuisse certum est. Etiam formae εἷο (ἕο, εὗ), οἷ, ἕ explicatu non sunt difficiles, genitivi enim terminatio est ιο, ut litera ε ad stirpem pertineat atque forma primaria fuerit σϝεῖο, inde ϝεῖο. Item dativi terminatio est ι, literam igitur ο stirpis esse sequitur, ut ex antiquissima fora σϝο-ι abjecto σ ortum sit ϝοῖ. Accusativus denique, qui terminationem casum indicantem ut ἐμέ et σέ amisit, solam stirpem pronominis servavit. Formas igitur, quas modo enumeravimus, a digammo incepisse patet. Tota vero derivationis ratio confirmatur analogia pronominis secundae personae, cujus stirps est „tva“, τϝε, Doricae enim dialecti formae (Ahrens II, 257, 262) τέο (τεῦ, τέος, τεῦς), τίν, τέ bene explicari non possunt nisi amisso post τ digammo, ut ε quod genitivi et accusativi est, ad stirpem pertineat eodem modo quo in pronomine 3 pers. Deinde in dativo communi σοῖ idem observatur quod in οἷ antiquissimum α non in ε, sed in ο transiisse. Accedit, quod formarum ϝέθεν, ϝοῖ, ϝέ digamma initiale pronuntiatum esse certissimis dialectorum testimoniis probatur (Ahr. I, 31, 171, 192, 208). — Multo difficiliores sunt formae ἑοῖ et ἑέ. Si recte supra disputavimus, in ἑοῖ dativi terminatio est ι, ο ad stirpem pertinet, itemque in ἑέ, quod accusativi termintione caret, altero ε stirpis vocalis continetur, ut utriusque formae ε initiale accessorium sit. Sed priusquam de his judicem, digressionem facere liceat ad pronomen possessivum a Bekkero aut ϝός aut ϝεός aut ἐϝός scriptum. Prima quidem forma ϝός, quam e σϝός ortam esse apparet, nullam difficultatem praebet neque de digammo initiali dubitari potest. Ex hoc

antiquissimo σϝός oriri potuisse ε prosthetico addito ἑσϝος, ἑϝος, ἑός concedendum est. Sed unum est, quod obstet, antiquissima enim ejusdem pronominis forma in lingua Latina fuit „sovos", quae derivari non potest nisi a stirpe „sava" id est „sva" interposita inter v et s vocali. Si sumamus eandem stirpis formam etiam in lingua Graeca valuisse vel potius linguarum et Latinae et Graecae communem fuisse, num forte linguae Graecae formationibus inde lux afferatur? Optime quidem explicantur omnes formae, si a stirpe „sava" derivamus pronomen σεϝος, unde spiritu aspero, id quod sexcenties fit, literae σ loco substituto ἑϝος vel amisso digammo ἑός. Ita etiam spiritus asper, quem Bekkerum in lenem mutare necesse erat, optime se habet. Eodem modo, ut ad pronomen personale revertamur, explicandae sunt formae ἑοῖ et ἑέ, ortae e σεϝοι et σεϝε. Qua in re iterum adjuvamur secundae personae analogia, formas enim genitivi τεοῦς (τεοῦ), dativi τείν, possessivi τεός originem ducere e stirpe longiore τεϝε e τϝε facta unicuique apertum est. Ut finem faciamus, restituere licet in carminibus Homericis ϝέθεν, ϝεῖο (ϝεό, ϝεῦ), ϝοῖ, ϝέ, ἑϝοῖ, ἑϝέ, ϝός, ἑϝός, non licet ϝεοῖ, ϝεέ, ϝεός, quantum quidem e probabili etymologia concludi potest. Restat sane, ut de rebus metricis dicamus. De ϝέθεν, ϝέο (ϝεῦ), ϝέ, ϝός copiosius disputare supersedeo, quoniam in quovis Iliadis vel Odysseae libro sexcenta digammi vestigia hae formae ostendunt (Hoffm. II, p. 17, 44). Videamus igitur de εἷο, ἑοῖ, ἑέ, ἑός. Formam εἷο, quamquam jure digammo initiali instrui supra diximus, huc rettulimus, quod Hoffmannus (II, p. 44) in ea nullum esse digammi vestigium contendit. Sane hiatus in pede primo Δ 400 γείνατο εἷο nullius momenti est, sed neque hic locus neque χ 19 θο|ῶς δ' ἀπὸ| εἷο quominus digamma restituatur, prohibent. ἑοῖ N 495 ἐπισπόμε|νον ἑοῖ| αὐτῷ ita legitur, ut brevis syllaba in consonam desinens, quae antecedit, producatur, sed quum fiat ante caesuram seminovenariam, quae est loco semiseptenariae, hac pro-

ductione nihil demonstratur, v. Hoffm. I, p. 108, cf. K 281. Alter, quo legitur, locus est δ 38 σπέ|σθαι ἑοῖ| αὐτῷ, ubi productio diphthongi arsi quinta satis excusatur. Tamen concedendum est, digamma quamquam non requiratur, optime ferri posse. At si omnino tantae locorum paucitatis ratio habenda est, certe ad defendendum digamma non plus valet, quam probabilis etymologia ad rejiciendum. Accusativus ἑέ bis legitur, Ω 134 post longam syllabam in consonam desinentem, Υ 171 μαστίς|ται ἑέ|, quae productio satis excusatur duobus locis I 341, Λ 598 (hoc quidem loco Bekkerus in secunda editione pro ἱδρῶσα scripsit ἱδρώουσ'). Multo saepius invenitur pronominis possessivi forma ἑός, quam digamma non requirere iis locis, quibus Bekkerus posuit, demonstari potest, nam ρ 111, τ 209 antecedit longa syllaba in consonam desinens; Α 83, Β 549, Μ 222, Ω 511, α 218, 430, ε 451, ξ 23, 115, 452, ο 483, τ 573, ω 162. Bekkerus ν ἐφ. ante hanc vocem delevit; hiatus aut sunt ante caesuram trochaicam tertii pedis: Α 47, Μ 84, Ξ 223, Ω 416, β 247, ε 76, η 134, ο 132, aut in thesi pedis primi Α 533; productiones non fiunt nisi ante caesuram semiquinariam, diphthongi Ω 296 δώ|σει ἑόν|, brevis syllabae in consonam desinentis η 7 θάλα|μον ἑόν|. Bis denique particula ἦ ante ἑός producta legitur, δ 643 in arsi quinta |ἦ ἑοῖ| αὐτῷ, id quod defenditur comparato Π 12 |ἦ ἐμοὶ| αὐτῷ, α 409 in arsi prima ἦ ἑόν, quae productio pluribus locis excusatur Ο 105 ἦ ἔτι, Ρ 445, Σ 287 al. Quibus locis propter elisionem ante ἑός factam restitui non potuit ϝεός, iis Bekkerus scripsit ἐϝός, nobis quidem ipsis elisionibus formam ϝεος nunquam fuisse confirmatur, sed praeter ϝός tantum ἑϝός.

Quum de ε prosthetico diceremus, mutationem quandam digammi tetigimus. Notum est enim non modo anteponi huic literae vocalem, sed ipsam in vocales transire, quarum digammo cognatissimam esse υ et linguarum comparatione et Aeolicae maxime dialecti exemplis satis constat. Hujus mutationis in carminibus Homericis pauca exstant exempla:

αὐέρυσαν, αὐίαχοι, εὔαδεν (mitto quae ante literam consonam υ habent vocabula, ut εὔληρα, καλαῦροψ alia, quoniam Bekkerus nunquam ante consonas digamma scripsit). Bekkerus in iis digamma restituit, quaerendum est igitur, utra ratio praestet. Apud Pindarum quidem, qui Pyth. II, 28, III, 23 vocis αὔατα primam syllabam correptam habet, et apud Alcaeum, apud quem ἔγχευε dactylum efficit, dubium non est, quin consona ϝ pronuntianda sit. Sed apud Homerum illorum vocabulorum syllabae primae non leguntur nisi productae, quo fit ut qui digamma restituerit, eum causam productionis aliunde quaerere necesse sit. Bekkerus l. l. p. 135 sententiam eorum, qui digamma duplicatum esse voluerunt, rejiciens vocalem initialem formae ἔϝαδεν et accentu et arsi productam esse censet, vocis ἀϝίαχος vero α eadem ratione, qua prima vocalis vocabulorum ἀθάνατος, ἀκάματος propter incommodam, qua utuntur, mensuram. Ejusdem igitur rei diversae ponuntur causae. Hoc quidem certum est, aliquo tempore vocis ἀϝίαχος digamma verum consonae sonum habuisse, at quum reliquae, quae huc pertinent, voces digammo amisissent, ἀϝίαχος quaeque sunt similia idem ita servasse, ut in scriptis carminum exemplaribus vocalis υ signo exprimi posset, incredibile esset, nisi antiquiore jam tempore ϝ in vocalem transiisset. De αὐέρυσαν paullo difficilius est judicare, quum quid sibi velit hoc α, dubium sit. Vix, puto, credibile est, quod quidam voluerunt, aoristum ἔρυσαν, qui toties legitur, paucis locis α prosthetico auctum esse. Sane multo probabilius est, quod Doederleinius (Gloss. 2290) proposuit, qui α e decurtata praepositionis ἀνά forma, quae est ἀν, natum esse existimat, v. Curtius II, 141. Fortasse alicui placet dicere, huic voci tribui posse duplex digamma ex illa lege, qua subsequens consona antecedentem sui similem aut parem reddat, ut in κάββαλεν. Sed quum a tradita lectione non est quod recedamus, atque bene ferri possit, quod Doederleinius voluit, vocalis signo αὐέρυσαν, ut εὔαδε et αὐίαχος, scribendum esse censemus.

Bekkerus, ut notum est, digamma ibi tantum scripsit, ubi vocalis sequitur, ante consonas constanter omisit, id quod in universam credo probandum est. Primum enim plurima eorum indiciorum, quibus ut de digammo initiali vocum a vocali incipientium concludamus, ducimur, plane deesse patet, ut nihil restet, nisi brevium vocalium finalium productiones ante simplices consonas initiales vocum subsequentium factae; deinde etymologia nonnullorum vocabulorum tam dubia est, ut nisi consonam excidisse nihil statui possit. Tamen non parvi momenti est ad totam de digammo quaestionem recte instituendam ea quoque vestigia ante oculos habere, quae digammi vel ante vel post consonam amissi signa sunt. Qua in re paucis utar exemplis, quod omnia, quae huc referri possint, enumerare et longum et ab hac dissertatione alienum est. Verbi ῥήγνυμι radicem esse Ϝραγ constat, videamus igitur, utrum digammi apud Homerum inveniantur vestigia necne. Inspectis omnibus locis, quibus formae verbi ῥήγνυμι ab ipsa consona ρ incipientes et derivata ab eo vocabula ῥηγμίν, ῥωγαλέος, ῥηξήνωρ leguntur (consulto omisi ῥάκος et alia, quorum derivatio nullo modo certa est), animadvertimus: nusquam ante has voces vocalis finalis correpta invenitur, sed aut antecedit syllaba in consonam desinens vel in longam natura vocalem, aut, ubi vocalis praecedit natura brevis, semper producitur et quidem ν 438 πυκνὰ ῥωγαλέην (idem ρ 198, σ 109) in thesi prima, reliquis locis in arsibus: in tertia ante caesuram semiquinariam, quae tanti momenti est, ut cuivis productioni faveat, O 617, H 228, N 324, Π 146, 575, Ψ 673, quamquam ut hoc addam, O 517, Ψ 673 multo plus valet in versu caesura semiseptenaria quam semiquinaria; deinde in secunda M 198, N 323, qorum locorum utroque caesura semiternaria, quum sit ante semiquinariam, fere nihil valet, v. Hoffm. I, p. 104, §. 75, 1, Υ 229 ἐ|πὶ ῥηγ|μῖνος, ubi caesurae inter praepositionem et vocem ab ea pendentem nulla est vis; tum in quarta M 308, Π 67, P 751, Υ 55, ubique tamen caesura

semiquinaria praevalet. Denique multis locis praepositionum syllabae finales in arsi quarta producuntur ante ῥηγμίν: ἐ|πὶ ῥηγ|μῖν Α 437, Θ 501, δ 430, 575, ι 150, 169, 547, 549, κ 186, μ 6, ο 498; πα|ρὰ ῥηγ|μῖν Β 773, δ 449, qui loci quum propter praepositionem arsi nulla sit vis, certa ostendunt digammi vestigia. Idem statui potest de participio ῥηθείς et nominibus ῥητήρ, ῥητός, non legi ante ea breves vocales correptas, sed produci praepositionum syllabas finales: Φ 445, σ 114, υ 322 et particulam τε: Ι 443, quibus locis arsis nihil valet. Notissimum deinde est illud μάλᾱ δήν, ἔτῑ δήν, οὐδᾷ δήν (ε, 127), ut nusquam legatur ante δήν brevis vocalis correpta. Ante δηρόν autem, quod sine dubio ejusdem originis est, duobus locis producta legitur vocalis brevis: Ι 415 ἐ|πὶ δη|ρόν, reliquis correpta: Β 435 |μηδ' ἔτι|δηρόν, Β 895, Ρ 41, Φ 391, β 285, ϑ 150. Praeter hanc aliae sunt voces, ante quas utrumque licuit et producere antecedentem vocalem finalem et corripere, ut δεινός: Κ 254 ἐ|νὶ δει|νοῖο, Φ 25 κα|τὰ δεινοῖο, ε 52 κα|τὰ δει|νούς, contra Θ 133 βροντή|σας δ' ἄρα| δεινόν, sed tenendum est, hoc uno tantum loco corripi ante δεινός syllabam brevem. Plura exempla afferre supervacaneum est neque quae consona post δ vocis δεινός exciderit, nunc nostra refert, quum quae volumus, ex allatis exemplis concludere jam possimus. Primum igitur in verbo ῥήγνυμι vestigia digammi sunt vix leviora, quam quae Bekkerus in pluribus vocibus a vocali incipientibus invenisse sibi videtur; deinde ne unus quidem in universis carminibus exstat locus, quo digammi restitutio prohibeatur, quo accedit, quod ϝ ante ρ consonam diu servatum esse et Aeolicae dialecti fragmentis et aliorum dialectorum inscriptionibus aperte demonstratum est. Verisimile est igitur, fuisse tempus, quo et ante vocales et ante consonas in carminibus epicis digamma pronuntiaretur; atqui num digamma initiale ante ρ prius abjectum sit quam ante vocales, plane nescimus, ergo si quis digamma ante vocales constanter scribit, ante consonas vero constanter omittit, maxime verendum est,

ne discrimen ponat, quod nunquam fuerit. Deinde in vocibus δήν et δηρόν digamma restituere non possumus, quoniam pluribus exemplis supra allatis digamma non esse pronuntiatum probatur. Attamen ante δήν semper, ante δηρόν interdum breves vocales finales producuntur, quod unde explicare possimus, nisi traditum fuisse ex antiquissima poësi hunc usum et viguisse, quamvis digamma excidisset, putamus? Sed quum ad hanc antiquioris usus imitationem infra revertar, de ea nunc taceo.

Passim in antecedente disputatione rationem metricam aut ad confirmanda, quae aliunde petiveramus, digammi indicia aut ad refutandas falsas de eo opiniones in auxilium vocavimus. Utrum vero certis locis digamma earum vocum, quibus jure hanc literam tribui supra vidimus, pronuntiatum sit necne, tantum ipsis versibus Homericis comparatis dijudicari potest. Digammi testes esse possunt productiones longarum vocalium sive diphthongorum finalium, hiatus (eos dico, qui fiunt, ubi prior vox brevi vocali finitur), productiones syllabarum brevium una consona aut vocali finitarum. Sed res multo difficilior fit eo, quod iisdem legibus metricis vel, si mavis, exceptionibus Homerus ante quasvis vocales utitur, etiam eas, ante quas nunquam digamma pronuntiatum esse certissimis argumentis constat, quod quum ante Hoffmannum ignoraretur aut minoris momenti haberetur, factum est, ut qui de digammo disputarent, saepissime errarent. Ille autem demonstravit, ex productionibus longarum vocalium vel diphthongorum in arsibus factis nihil posse concludi, praeterquam quod οἱ (dat. pron. 3 pers. encl.), τοι, τῳ, τευ, ἐπεί, καί fere nunquam ne in arsi quidem producerentur, ideoque solas theses in hac quaestione valere; deinde hiatus optime ferri posse post caesuram tertii pedis trochaicam, in fine pedis quarti, in thesi prima; porro productiones brevium syllabarum in consonam desinentium fieri ante quasvis vocales caesuris semiquinaria et semiseptenaria atque paullo rarius semiternaria, quae esset ante trochaicam tertii

pedis, et seminovenaria, quae in locum semiseptenariae successisset. Quarum legum pluribus Bekkerus assentitur, cf. Hom. Bl. p. 138: „um den (Spondeus) in die erste Stelle zu bringen -- wird kein Hiatus weder in dem Fusse selbst, noch gegen den folgenden Fuss (gescheut)"; quaeque maximi sunt momenti p. 144: „beide (die Penthemimeris und im dritten Trochäus) wie auch, nur in geringerm Masse, die Trithemimeris und Hephthemimeris, geniessen der Freiheit von Versenden, so dass sie Kürzen lang gebrauchen und den Hiatus zulassen in allen seinen Gestalten, langen Vocal lang vor langem und vor kurzem Vocal, kurzen Vocal vor langem und vor kurzem." Una tamen re Bekkerus ab Hoffmanni sententiis quam maxime discessit, hic enim quum animadvertisset, productiones brevium syllabarum consona finitarum ante voces a digammo incipientes non fieri nisi in arsibus, exceptis tantum pronomine 3. pers. et radice ϝιδ, digamma ad producendas ejusmodi syllabas in thesi plerumque non sufficere (II, p. 51, §. 154) vel, ut alio loco dicit (II, p. 68, cf. II, p. 55, §. 160, p. 182, §. 251), correptionem brevium syllabarum in consonam desinentium digammo non impediri conclusit. Bekkerus autem, qui digamma non iis tantum locis posuit, quibus propter metrum requiritur, sed ubicunque fieri potest, post ejusmodi syllabas correptas non scripsit, quo eum correptionem amissi digammi indicium habuisse sequitur. Hoffmannus ut illam difficultatem tolleret, digamma medium esse inter vocales et consonas statuit (II, p. 182, §. 251), ut ante eum fere omnes, qui de digammi natura egerant. Patet enim, quam utilis sit haec doctrina ad removenda multa, quae digammi apud Homerum restitutioni repugnare videantur. Accessit, quod ad firmandam illam sententiam Priscianum adjutorem habebant, qui (I, 4, 22, p. 22 Kr.) „digamma Aeoles esse quando in metris pro nihilo acciperent, ut ἄμμες δ' ϝειρήναν· τόδε τάρ θέτο Μῶσα λιγεῖα" docuit. Qua sententia nisus Thierschius (§. 158, 6—9) digammo elisionem apud Homerum non impediri

contendit poësi Homericae ex hoc uno poëtae lyrici exemplo legem gravissimam ferens (v. Hoffm. p. 69). Post eum primus accuratius de Prisciani verbis disputavit Giese (Aeol. Dial. p. 184), qui in hac quidem re illius grammatici auctoritatem nihil valere, demonstrasse videtur. Primum enim grammaticorum Graecorum nemo de illa peculiari digammi virtute quidquam tradidit, deinde quam parum digammi naturam ipse Priscianus noverit, eo elucet, quod digamma Aeoles quidem ubique aspirationis loco posuisse effugientes spiritus asperitatem arbitratur, denique quaecunque in fragmentis poëtarum Aeolicorum digammi inveniuntur vestigia, hujus duplicis usus nullum praebent indicium. Quae si quis tam exigua esse dicit, quibus nihil probari possit, sane ex illo uno fragmento, quod Priscianus affert, non plus concludere licet. Porro Giese, id quod reliqui neglexerant, de etymologia vocis εἰρήνη quaesivit, quam a radice ϝερ „dicere" derivandam esse recte contendit: analogia vero derivatorum ῥήτρη (ϝράτρα), ῥῆσις primitivam formam fuisse ϝρηνη probari, inde posteriorem εἰρήνη natam esse addito ε prosthetico (ἐϝρηνη), quod amisso digammo in ει productum sit, quo de digamma initiali cogitari non posse sequatur. Id igitur certum videtur, quidquid de illo versu judicandum est, Prisciani auctoritate non posse defendi duplicem digammi naturam. Hoffmannus quoque cavit, ne Prisciani verbis falleretur, v. II, 69; attamen suis ipsius observationibus nisus digamma valuisse ad tollendos hiatus atque producendas longas vocales finales et breves syllabas finales in arsi positas, sed infirmius fuisse quam ut eandem productionem etiam in thesi efficeret, existimavit. Concedendum quidem est, digamma paullatim evanuisse atque debilitatum esse, sed aliquo tempore idem verae plenaeque consonae vices gessisse, ut per se veri simile est et reliquarum linguarum comparatione probatur, ita productionibus thesium ante οἶδα factis confirmatur, quibus simul partem sane carminum Homericorum eo tempore compositam esse, quo digamma

nihil firmitudinis amiserat, demonstratur. Deinde antequam digamma plane amitteretur, pronuntiationem sensim sensimque minus fortem factam esse, necesse est, sed qualis haec pronuntiatio fuerit, nescimus neque scire possumus. Si igitur aliquo tempore ante voces ex origine a digammo incipientes breves syllabas consona finitas in thesi producere non licuit, fortasse pronuntiatio ea erat, ut aliquod digammi vestigium audiretur, sed ipsum vetus digamma non erat, id quod nobis quidem idem valet atque digamma amissum. Accedit ad Hoffmanni sententiam refellendam, quod quum in omnibus vocibus digamma eodem modo pronuntiatum esse putandum sit, non intelligitur, quomodo si arsis antecedat, haec litera majorem vim habeat, quam si thesis. Quod si quis dicat, productiones fieri arsis vi, hoc concedo; tum autem digammo ad eas explicandas omnino non egemus.

Mirum tamen videtur, tam paucas in carminibus Homericis ejusmodi productiones inveniri. Quid, si demonstrari potest eas aliquo remedio esse remotas, ut olim longe plures ejus generis fuisse, quam nunc restent, appareat? Antea autem dicendum est, omnia vocabula, quorum syllaba prima correpta est, non posse omnino ita poni, ut thesin ante se productam habeant, quem in numerum recensendae sunt multae voces eaeque usitatissimae, ut omnes formae ad ἄναξ et ἀνάσσειν pertinentes, ἄδε, ἄγη, ἄγεν, ἑδανός, ἔαρ, ἔπος, casus obliqui vocis ὄψ, ἐρέω, ἐέρση, ἕδω, ἕκων, ἔεδνα, ἕκηλος, ἑκάς quaeque cum hoc composita sunt vocabula, ἑκυρός, ἕλιξ, ἑλίσσω, ἐρύω quaeque huc pertinent formae ab ε vocali incipientes, ἑανός, ἔτος, ἔτης, ἴδον omnesque aoristi formae ab ι incipientes, quarum ingens est multitudo, ϝέϑεν, ϝέο, alia. Quae vocabula quoties in carminibus legantur, si meminerimus, certe numerum productionum illarum in thesi factarum exiguum esse non mirabimur. Transeamus igitur ad ea exempla, quibus non raro productionem in thesi factam sublatam esse verisimile fit. Bekkerus ι 530 scripsit πτολί|πορϑον| ϝοίκαδ' eoque restituit communem formam πτο-

λίπορϑος pro tradito πτολιπόρϑιος, injuria fortasse, quod ι 504, quo loco de digammo cogitari non potest, idem πτολιπόρϑιος legitur. Id autem ex hoc exemplo elucet, aut ipsam poëtam aut eos, qui postea poëmata recitarent, digammo vocis οὔκαδε amisso formam dactylo finitam usurpasse, qua productio in thesi facienda vitaretur. Jam ipse Bekkerus Hom. Bl. p. 156 formam participii ἐεισάμενος nullo loco necessarium esse animadvertit; atque mirum sane est, huic voci, quae novies legitur, octies praecedere μιν, quod in thesi producendum esset, si pro ἐϝεισάμενος poneretur ϝεισάμενος. Bekkerus quidem semper retinuit ἐϝεισάμενος idque recte, quoniam utra forma quoque loco a poëta usurpata sit, dijudicari nullo modo potest. Attamen eum, qui digamma non pronuntiaret, per facile eam formam, quae exspondeo dactylum faceret, eligere potuisse hoc exemplo manifeste demonstratur. Eodem modo ζ 170 pro |χϑιζὸς ἐ|ϝεικόστῳ optime legi potest |χϑιζὸς |ϝεικόστῳ, quod Bekkerus l. l. p. 156 proposuit, ea fortasse causa, ut spondeum in primo pede restitueret; item υ 158 |αἱ μὲν ἐ|ϝείκοσι mutari potest in |αἱ μὲν|ϝείκοσι, ut spondeus fiat in pede primo. Idem fieri potuit et fortasse factum est in aliis vocibus, quarum variae apud Homerum usitantur formae, cujus rei quae mihi exempla in promptu sunt, ea apponam:

Δ 130	τό|σον μὲν ἔ|ϝεργεν	legi	potest	-|σον μὲν| ϝέργεν
Λ 131	|παιδὸς ἐ|ϝέργῃ (p. pr.)	„	„	|παιδὸς| ϝέργῃ
Π 395	|νῆας ἔ|ϝεργε	„	„	|νῆας| ϝέργε
Ρ 716	|αἶσαν ἔ|ϝειπες	„	„	|αἶσαν| ϝεῖπες
ρ 248	|οἶον ἐ|ϝειπε	„	„	|οἶον | ϝεῖπε
β 108, ω 143	|δή τις ἔ|ϝειπε	„	„	|δή τις | ϝεῖπε
ϑ 116	|καλὸν ἔ|ϝεῖπες	„	„	|καλὸν |ϝεῖπες
Α 496, Μ 403	|παιδὸς ἐ|ϝοῦ (p.pr.)		„	|παιδὸς |ϝοῦ
λ 282	|πατρὸς ἐ| ϝοῦ	„	„	|πατρὸς |ϝοῦ.

Ita fortasse explicatur magnus numerus praepositionum disyllabarum προτί et ἐνί. Forma enim ἐνί fere quinquagies cum οἴκῳ conjuncta legitur in versus fine, semel tantum Α 30 in medio versu, quo loco optime ferri potest ἐν ϝοίκῳ.

In quinta igitur thesi, quae pyrrhichium postulat, poëtae usurparunt formam disyllabam. Quid mirum, si postea digammo non pronuntiato productio tum auribus molesta eodem modo tolleretur? Atque ne quis dicat, ita productionem expelli hiatu, eos, qui toties in versus fine eundem hiatum audire consuevissent, etiam alibi eo non offensos esse apertum est. Saepius legitur ἐνὶ οἰκίᾳ ναίων (ναῖεν, -ί' ἔχοντα), sed ubique restitui potest ἐν ϝοικίᾳ (H 221, δ 555, 798, υ 288, ι 505, ω 104). De πρός et προτί ipse Bekkerus disputavit hunc in modum (Hom. Bl. p. 97): „προτί, das einige 60 mal vorkommt, steht vor dem Digamma 57 mal, nämlich vor ἄστυ 33 mal (B 801, Γ 116, H 310 etc.), vor Ἴλιον 17 mal (δ 305, 313, Z 113, H 82 etc.), vor ὅν 3 mal (P 200, 442, ε 285), vor οἶκον 2 mal (ρ 55, ω 358) und vor οἷ ebenfalls 2 mal (Υ 418, Φ 507), wozu noch προτιειλεῖν K 347 und προτιείποι X 329 kommen. In allen diesen Fällen kann ohne weitere Gefahr als höchstens ein Paar Spondeen im fünften Fuss für προτί πρός eintreten, nicht anders, als wäre προτί erst eingeführt zu einer Zeit, die vom Digamma entwöhnt, den Antibachius πρὸς ἄστυ für einen Amphibrachys angesehen und um die somit fehlende Mora zu beschaffen, sogar den Hiatus nicht gescheut.“ Sane qui hiatus ἐπὶ οἰκίᾳ, κατὰ οἶκον, ἀνὰ ἄστυ aliosque digammo amisso ortos tolerare potuerunt, eos non offendebant προτὶ οἶκον et quae sunt similia. Deinde pro ἐς in thesi producto εἰς, pro ἐκ ἐξ pronuntiari potuit, ut productio longa vocali aut justa positione fieret. Quare Bekkerus sibi constans ejusmodi locis ἐς et ἐκ posuit, ut φ 350 ἀλλ' ἐς ϝοῖκον, φ 188 τὼ δ' ἐκ ϝοίκου. Ut aliud afferam, Z 367 tradita lectio est οὐ γάρ τ' οἶδ', quo loco particula τε plane supervacanea est, ut cum Bekkero, qui οὐ γάρ ϝοῖδ' scripsit, eam ad justam productionem efficiendam insertam esse suspicemur. Duae sunt formae υἷες et υἱέες, quarum alteram B 518 invenimus, ubi si υἷες poneretur, productio in thesi efficeretur. Haec sunt quae ejus rei congessi exempla quorum numerus quin augeri

possit, si quis accuratissime omnia inspiciat, non dubito. Unum vero demonstrasse mihi videor, ubertate et multitudine formarum perfacile fieri potuisse, ut productiones amisso digammo molestissimae multoque hiatibus duriores vitarentur, atque Bekkerum recte fecisse, quod illas productiones brevium syllabarum consona finitarum etiam in thesi admitteret. Quam ob causam Hoffmanni judicium, quo ejusmodi productionibus ante οἶδα et pronomen tertiae personae factis antiquioris poësis reliquias indicari censet, audacius quam verius est, nihil enim hi loci docent, nisi non omnes carminum Homericorum partes ad pronuntiationem, quae post amissum digamma fuit, esse accommodatas.

Supra vidimus Bekkerum cum Hoffmanno in ferendis nonnullis legibus metricis, quae ad hiatus productionesque in arsibus factas pertinent, consentire, quamquam hae quidem ad Bekkeri rationem examinandam minoris momenti sunt, quoniam ubique digamma posuit, ubi ferri potest, non ibi tantum, ubi alia hiatuum vel productionum excusatio deest. Mihi quidem, si quis digamma restituere velit, ita agat ut Bekkerus necesse videtur. Fortasse enim hic non raro digamma posuit, quibus nunquam pronuntiatum est, sed qui tantum scribet ubi plane necessarium sit, certe permultis locis, quibus revera pronuntiatum est, digamma omittet. Sane dijudicari hac ratione metrica in universum quidem fere nihil potest. At valent ad totam quaestionem recte faciendam ii loci, quibus in eo, quem nunc habemus, textu digamma aperte neglectum est, quum ab his pendeat, utrum hodie restituere possimus necne. Videamus igitur, quam rationem hac in re Bekkerus secutus sit. In universum quidem post amissum digamma mutationes textus factas esse concedendum est. Ita magna hiatuum multitudo sublata est ν ἑφελκ. addito, quod ubi digammi restitutioni impedimento erat, Bekkerus removit. Qua in re dijudicari non posse, utrum unumquodque ν ἑφελκ. additum sit post amissum digamma, an ipse versus factus eo tempore, quo

digamma non pronuntiabatur, per se intelligitur. Sed quum in sola Iliade fere trecenti sint loci, quibus ante voces a digammo incipientes ν ἐφ. legitur, dubitari non potest, quin multis locis additum sit post amissam hanc literam. Idem statuendum est de duplici forma particulae οὐ (οὐκ, οὐχ), οὐ enim ante digamma nonnullis locis servatnm est (v. Schol. A 114, Ω 214). Deinde particulae quaedam praecipue eae, quae eliso ε vel α finali ad unam consonam reduci possint, quam commodae fuerint ad hiatus tollendos productionesque faciendas, nemo est, quin videat. Quas quidem particulas non quoque loco necessarias esse, intelliget, qui textum Bekkerianum legerit. Nemo enim, credo, desiderabit ἄρ E 451, γ' A 458, 582, ῥ' Γ 221, τ' E 467, Z 511, δ' Γ 103, κ' A 64 (cf. Friedländer Jahn's Annal. V, p. 816). Levissimae deinde mutationes eae sunt, quibus duarum formarum idem significantium ea eligitur, quae digammi ponendi facultatem det, ut I 73 πολέσιν δὲ ϝανάσσειϛ pro πολέεσσι δ', E 83 δάμνημι ϝέπεσσιν pro δάμνημ' ἐπέεσσιν, A 576 ἔσται ϝῆδοϛ pro ἔσσεται ἦδοϛ, B 672 Χαρόπου τε ϝάνακτοϛ pro Χαρόποιό τ' ἄνακτοϛ, A 21 υἷα ϝεκηβόλον pro υἱον ἑκηβόλον quaeque sunt similia. Si ex universa quidem quae est de digammo doctrina judicandum est, ei qui digamma in carminibus Homericis restituere studet, id juris concedi debet, ut ejusmodi emendationibus rem expediat, quamquam quod supra diximus, non posse dijudicari, utrum quivis versus mutatus sit amisso digammo an post abjectam hanc literam factus, etiam hic valet. Sed quibusvis mutationibus multo magis id obstat, quod emendatis iis locis, quos modo attulimus, aliisque similibus restant, qui emendari ita ut digamma admittant, non possint. Atque ex his judicandum est de universa mutandi ratione. Ut exempla afferam, P 279 legitur in Bekkeri editione hunc in modum: Αἶαϛ, ὃϛ περὶ μὲν ϝεῖδοϛ, περὶ δ' ἔργα τέτυκται, ubi δ' quum omitti non possit, digamma vocis ἔργα neglectum vel amissum esse apparet. Triplex igitur offertur ratio, aut enim, quum hic

versus quique cum eo cohaerent, componerentur, digamma vocis εἶδος pronuntiabatur, vocis ἔργον jam amissum erat, cujus diversitatis neque causa ulla est neque indicium, aut ipse versus est interpolatus, id quod quum secerni non possit a conexu eorum, qui antecedunt et sequuntur, demonstrari non potest, aut neque in voce εἶδος neque in ἔργα, quum hi versus componerentur vel in eam, quam nunc habent, formam redigerentur, audiebatur, ut qui μέν ante εἶδος produci pateretur, eo imitaretur antiquioris poësis usum. Quam rationem et veri simillimam esse eaque rem bene expediri patet. Sin autem talia fieri potuisse concedimus, etiam de levissimis, quae videntur, mutationibus caute judicemus necesse est. Itaque num P 283 ἐκέδασσεν ἑλιξάμενος ν ἐφελκ. delere liceat versus 274 ratione habita dubium est. Supra vidimus de vocis ἕκαστος digammo non constare, sed fac id jure poni, quomodo inter se conveniunt P 250 σημαίνουσι ϝέκαστος et 252 διασκοπι|ᾶσθαι ἕ|καστον; X 127 Bekkerus scripsit τῷ ὀαριζέμεναι, quamquam digammi restitutioni nihil obstat, ob id sine dubio, quod in sequente versu omittendum erat propter elisionem (τ' ὀαρίζετον). Sed nonne eodem argumento aliis quoque locis jure utamur? cf. A 203 |ὕβριν ἴ|δῃς, 204 ἔκ τοι ϝερέω; Δ 232 σπεύ|δοντας ἴ|δοι, 233 παριστάμε|νος ϝεπέ|εσσιν, 240, 241; Σ 35 μῆνιν ἀ|πο ϝει|πών, 75 |μῆνιν ἀπ|ειπόντος; Φ 128 φθείρεσθ' εἰς ὅ κε ϝάστυ κιχείομεν Ἰλίου ἱρῆς; Ψ 95 καί μοι ταῦτα ϝέκαστ' ἐπιτέλλεαι, 107 |καί μοι ἕ|καστ' ἐπέτελλεν, 55 et 58; 309 tradita lectio τέρμαθ' ἑλισσέμεν, B² τέρμα ϝελισσέμεν, at 330 ἐπὶ|πολλὸν ἑ|λίσσεται; Ω 572 Πηλεΐδης δ' οἴκοιο, 581 δοίη ϝοικόνδε. Ex his exemplis concludi potest, non posse ubique in carminibus Homericis digamma restitui; quibus vero locis ita neglectum sit, ut probabili facilique conjectura non possit inferri, eos dubitationem movere de aliis quoque locis, quibus metrum quidem, quominus digamma scribatur, non obstat. Itaque digammo amisso mansisse existimamus eam consuetudinem, qua ante certas voces hiatus admittere, longas

vocales non corripere, breves syllabas in consonam desinentes producere liceret. Quibus quidem locis non ipsum digamma sed imitatio tantum valuerit, nunc dijudicari fere non potest. Si digamma non scribimus, rem integram relinquimus, sin vero, quantum fieri potest, restituere studemus, illam imitationem consuetudinemque, quae in omnium gentium antiquiore poësi epica maximi est momenti, negligimus atque aequabilitatem ponimus, quae nunquam fuit. Deinde mutationes factas esse post amissum digamma ut ν ἐφελκ. insertum aliaque supra concessimus. At unde ortae sunt illae quoque tempore? Patet ad has quaestiones responderi non posse, nisi ante quaeratur, utrum in editione Pisistrati jussu facta digamma scriptum fuerit necne. Qua de re optime disputavit Rumpfius l. l. p. 668, cujus expositionem equidem sequar. Recensionem enim Pisistrateam grammaticos Alexandrinos quasi pro fundamento habuisse artis criticae in carm. Hom. factitandae constat (v. Ritschl Alex. Biblioth. p. 59). De digammo autem Homerico iidem nihil cognitum habuerunt. Factum igitur esse potuit, ut haec litera scripta esset in exemplari Pisistrateo, postea vero quum transcriptio fieret novis literis Ionicis in usum receptis, omissa. Sic autem explicari non potest, quomodi fieri potuerit, ut Alexandrini de ea non curarent, qui ubi de lectione constituenda dubitabant, passim ad antiquiorem scripturam recurrebant, ut Schol. Λ 104 ὦ. ἡ διπλῆ ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ὄν· μήποτε δὲ πεπλάνηται γεγραμμένου τοῦ ō ὑπ' ἀρχαϊκῆς σημασίας ἀντὶ τοῦ ῶ, cf. Schol. Ξ 241 παρεφθάρη ὑπὸ τῶν μεταχαρακτηρισάντων (v. Rumpf. p. 671). Certe si in veterioribus exemplaribus digamma scriptum esset, Alexandrini aliquam ejus cognitionem habuissent. Sin autem jam in antiquissimis exemplaribus non erat expressum, Alexandrinis, qui vetustiorem recensione Pisistratea formam restituere nunquam conati sunt, nulla erat causa, qua de digammo quidquam conjicerent. Ex his vero, quae modo dixi, sequitur mutationes textus illas, quibus hiatus aliaque digammi vestigia

remota esse vidimus, neque grammaticorum Alexandrinorum opera neque omnino singulorum hominum voluntate atque arte factas esse sed digammo paullatim evanescente ultro se obtulisse recitantibus. Itaque si digamma in carminibus Homericis scribimus, exemplar habemus, quale nunquam apud Graecos fuit; atque si locos, quibus ferri non potest, emendamus, digamma quidem servamus, sed linguae rationisque metricae post amissum digamma paullatim mutatae indicia, quae maximi momenti sunt ad universam orationis Homericae indolem recte cognoscendam et definiendam, delemus. Quae quidem expositio ut ad finem perducatur, longiore disputatione opus esse non ignoro, sed a rebus criticis, quae a digammo pendent quaeque tam late patent, ut cum universa quaestione, quam dicunt, Homerica cohaereant, consulto abstinui. Ipsam vero digammi restituendi rationem, quantum potui, exploravi et exposui. Quo labore quae demonstrasse mihi videor ut paucis repetam, multae sunt voces a Bekkero digammo instructae, quae num ab hac litera inceperint admodum dubium est, quam ob causam restitui non debet, priusquam de etymologia omnium quae huc pertinent vocabulorum constet; deinde digammo restituto neque pristina carminum Homericorum forma reduci potest et ea vestigia, quibus ducti linguae mutationem et progressum cognoscamus, delentur. Haec vero omnia non obstare, quominus secundam Bekkeri editionem magni faciamus, vix est quod dicam. Quodammodo enim necesse erat, ut tot dissertationibus de digammo scriptis sententiisque diversissimis de eo prolatis aliquis restituendi conatum faceret, quem quod I. Bekker criticorum princeps fecit nemo erit, quin maxime gaudeat.

LIPSIAE: IMPRESSIT F. A. BROCKHAUS.